


E R Y C I P V T E A N I  
DE  
R H E T O R I B V S,  
ET  
S C H O L I S  
P A L A T I N I S  
Mediolanensium  
D I S S E R T A T I O  
H I S T O R I C A.



M E D I O L A N I,

---

Apud Hieronymum Bordonum, & Petrum Mar-  
tyrem Locarnum socios. M. DCIII.

*Superiorum permisso.*

UVA. BHSC. BU 08960 (05)

211003  
E V A G I A D O H E R T

---

IMPRIMATVR.

F. Augustinus Galaminius Inquisitor  
Mediolani.

O I T A T M B B Z L G  
Aloysius Bossius Can. Ordin. Theol.  
pro Illustriss. Cardinal. Archiep.

Io. Bapt. Saccus pro Excellentiss. Se-  
natu .

---

E V A G I A D O H E R T

I N A L O C I M

UVA. BHSC. BV 08960 (05)

MAGNO PRINCIPI,  
INVICTO HEROI,  
IO. FERN. VELASCIO,  
MAGISTRO EQUITVM  
CASTELLAE,  
DVCI SECVRIO,  
HISPA NIARVM MAGNATI,  
CONSILII ITALICI  
PRAE SIDI,  
SECVLIM VSAGETAE,  
DE RHETORIBVS, ET SCHOLIS  
PALATINIS  
MEDIOLANENSIVM  
DISSERTATIONEM  
HISTORICAM  
ERYCIUS PUTEANVS  
INSCRIBO.

MAGNE PRINCEPS,

**I**NSCRIBO, inquam, hoc istud siue Oratoriū, siue Historicum munus: & fortassis ipse mihi audaciæ notam, quod leuidense munus. Quo Virtutis ac splendoris gradu inter mortales emineas, Princeps, imò Heros, neminem mortalium fugit: ut planè mihi videar, si vel in cultus Orator, vel incomptus Historicus ad Famæ tuæ aram accessero, præsens aliquod numen violare. Quia tamen

*Etiam Phœbo gratissima dona Cres tulit;*

Nec Dijs ipsis, ut eiusdem Poetæ verbis utar,

*Semper inaurato taurus cadit hostia cornu:*

*Hic quoque sit gratus paruus labor.*

Paruus; quem magnum hoc ipso facies,

icies, quòd admittes; & quem ego sic  
paruum tamen inscribo, ne ingratum  
ipse me ostendam. Debeo enim DIS-  
SERTATIONEM istam, quæ DE  
RHETORIBVS SCHOLISQ. ME-  
DIOLANENSIVM est: & sic tibi Rhe-  
tores ipsi. Illam ego; quia felici, & vi-  
tali favoris tui aura concepi. Itaque  
nata; & edita nomini quoque tuo fa-  
cra legatur, vnde vitam traxit; cùm  
etiam diurnare inter perennia monu-  
menta non possit, nisi legatur. Ut  
enim herbæ quædam in Sole exortæ,  
in umbra emoriuntur: ita hoc scriptū  
natali suo radio destitutum, vietum  
ac caducum sit. Rhetores autem, ab  
ipsis tenebris, & interitu ad memo-  
riam hominū postliminiò reuocati,  
nouos natales tibi acceptos referunt:  
quibus nouos ego emortuales faciam,  
nisi referant. nec enim mihi qui scri-  
psi, sed tibi cuius auspicio scripsi, vite

& famę beneficiū debent. A te verò ad  
scribēdum excitatus sum: tu animum  
addidisti; vt, cùm spes iniecta esset ti-  
tuli Historiographici apud Mediola-  
nenses obtainendi, vires meas in hac  
Rhetorum difficulti historia experiri  
ausus fuerim, quæ etsi muneri meo  
proxima, omnem tamē Antiquitatis  
memoriam exspirasse videbattur. Sed  
D̄eus adfuit, tu adfuisti, & sic plurium  
seculorum emortua gloria Dei tuoq;  
beneficio reuixit. Hactenùs verò velut  
in vmbra Historię lusi, in plenam lu-  
cem progressurus, si plenum scriben-  
di ius accipiam. Fac magne Prin-  
ceps, & urbem hanc æterna memo-  
ria tuam, me vsu mancipioque tuum  
benignè respice. Multa magnaq; ha-  
ctenùs tua in urbem beneficia sunt:  
sed quasi parùm sit, præsens tibi secu-  
lum obstrictum habere, extendes mu-  
nificentiam tuam, vt de Posteritate

quoque benè merearis. Neglectæ res,  
& historię Mediolanens. iacent, & ob-  
liuionis vitio pēnè patrio caret exēplo  
virtus: fac per te Majorum facta co-  
gnoscant posteri; facturi ipsi ne silen-  
tio obruantur. Multa etiam magnaq;  
hactenùs tua in me beneficia sunt; sed  
ad culmen ipsum votorum videbor  
euehi, si ad Historicum hoc munus.

Felix, si euehar; felicior, si à te, cui, vt  
primo omniū historiae honorem de-  
bebo: ita facillimè exsoluam. nullo  
enim negotio tabulas meas impletum  
tuis laudibus ibo, qui ipse iam virtu-  
tum tuarum fama orbem terrarum  
impleuisti: *Quod reliquum est,*

*Te duce vel Iouis arma canam, cæloq;  
minantem*

*Cæum, Phlegræis Oromedonta iugis:  
Celsaq; Romanis decerpta palatia tauris  
Ordiar, et cæso mænia firma Remo.*

Viue Magne Princeps, & immortalita  
tem habe. Mediolani, VII. Eid.  
Jun. 15 CIII.

**Jun.**      **88. B.C.III.**

Constituted by the Oldest Sons of the Church

Georg Römer zu Görlitz

one's imagination. Quite a variety

AD 294036A 50  
AVDITORES MEOS  
FAMILIARES:

I O. Bapt. Pratam, }  
Io. Bapt. Caimum, } *Ictos Mediol.*  
Petr. Ant. Calchum, }  
Io. Bapt. Vertuam, }  
Franciscum Barzizam, } *Medicos*  
Hannibalē, Vicomercatū, } *Mediol.*  
Alexandrum, Carchanū, }  
Iulium Cæsarem Vicomercatum,  
Petr. Paul. Vicecomitem, } *MVRAL*  
Augustinum Syrturum, }  
Io. Ambrosium Bissium, }  
Petr. Franciscum Marianum, }  
Henricum Septalium Lud. F.

D E RHETORIBVS, & SCHO-  
LIS *vestris* DISSERTATIO-  
NEM HISTORICAM *vestra potissi-*  
*mum causa scripsi, & habui, Viri Ami-*

ci, & Auditores Familiares: quam nunc  
quoque vestra potissimum caussa edo.  
Vos enim illi estis, qui per frigus hoc bona-  
rum omnium rerum, Doctrinæ, & littera-  
rum studio incensi, Virtutis, & Nobilita-  
tis gloria clari, me publicè differentem  
cottidiè auditis: cùm vile aut superfluum  
quibusdā videatur à Rhetore discere; vile  
aut superfluum in hac Schola. Sed illo-  
rum ego ut audaces ineptias reprimerem,  
vestrum autem laudabile studium promo-  
uerem, DE RHETORVM, & SCHOL-  
LARVM PALATINARVM Anti-  
quitate atque dignitate scribendum eden-  
dumq; putavi. Vos iudicate, & sic nunc  
quoque LECTORES mei FAMILIA-  
RES este, qui cottidiè AVDITORES.

CHOZ . 20190709 3  
ONATRIS DISSESSIO 20190709 3  
MACROSTIHN MEX  
ERY

E R Y C I P V T E A N I  
DE  
**R H E T O R I B V S**  
ET SCHOLIS  
PALATINIS  
Mediolanensium  
**D I S S E R T A T I O.**  
HISTORICA.



LTERAM ROMAM MEDIO-  
LANVM dicere, Auditores, ve-  
tus, verumque elogium est. Quæ  
enim duo

*Romanos rerum dominos, gentemq; togatam*  
ad Deos pñè euexerunt, armorum disciplina, &  
litterarum studium, ita vrbs vestra olim comple-  
xa est, vt domi militiæque ad Romanam glo-  
riam processerit. Sed arma quidem, et si internis  
seditionibus sæpiùs fatigata, ad terrorem orbis  
fuissent, nisi Virtuti Fortuna iuidisset. Inter arma  
litterarum subsidio toties collisæ Reipublicæ vul-  
nera sanata, nunc quoque iactari gaudent. Sic fe-

## DE RHET. ET SCH. MEDIOL.

Iix ROMA, totius orbis victorijs clara: tu quoq; felix ALTERA ROMA, quæ victa, Victricis gloriam participas. Illius fortunam Mars, & horrida quedam virtus: tuam famam litteræ promouerunt; vt mihi quidem videare Martem ipsum litteris, & in primis Eloquentia, debellasse. Eloquentia inquam, quæ Mediolani potissimum floruit, publicè in foro, & in Scholis quoque culta: an in his ipsis, in quibus Suadæ nunc cottidie litamus? in his ipsis, quæ PALATINAE publico nomine dicuntur? Id inuestigatum eo, vt ostendā Scholas istas, inter antiquissima Vrbis ornamenti, dignas iuuentute vestra esse; & munus ipsum honestissimum, inter titulos ciuiles. De RHETORIBVS enim dicam, eos à mille, & octingētis amplius annis perpetuos, nec è plebe, sed meliori fere numero hic fuisse: non minùs Professionis gloria, quàm stirpis claros, qui libentius Professionis gloriam, quàm stirpis usurparunt. Decuit, & nunc decet; cùm illustrius, mereri posteros Professione nobiles, quàm stirpe parentes recensere: facere sibi nomen, quàm accipere; nisi acceptum noua industria extendatur.

*Tota licet veteres exornent vnde ceræ  
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus.*

Virtuti proximū, largo & exundanti ingenij fonte irrigare iuuentutem publicè posse, & ad prudenteriam præparare. Ego certè, cui post tot insignes, & eruditos viros, docere in his Scholis contigit, etiam si extra Scholas, & maiorum aliquod lumē, & pomparam imaginum habeam; longè tamen sua

uiorem in Scholis famam degustare videor, quia  
ex me natam. Ecce autem, ut pñne in periculu m.  
modestiam meam voco, dum à publicis vestrísq;  
laudibus meas deriuo. Vestræ enim laudes ista  
sunt, qui Scholas istas à maioribus institutas pu-  
blico sumptu è Regis, & Reipubl. viribus foue-  
tis: non mæ, qui tantum gloriæ dumtaxat capio,  
quantum alij à me fructus. Itaque meum potius  
sit exsequi docendo munus, ad quod promotus  
sum; quam ornare felicitatem dicendo, quam po-  
tius sum. Ciuis succedat, & rerum Mediolanen-  
sium peritus, qui piè ac facile subeat hunc labo-  
rem. Et tamen conabor ipse, cum bona vtriusque  
venia; vt in comparationem accipiat, non dicam  
peritiæ specimen, sed pietatis diligetiam, si quis  
concurret. Ego enim, vt nec ciuis titulum, nec pe-  
riti laudem iactem; audebo tamen, velut inter ci-  
ues adscitus, periti conatum, & velut inter peri-  
tos adscriptus ciuis officium Reipubl. impende-  
re; quæ publicè me & Laris iure velut ciuem, &  
ELOQVENTIAE PROFESSIONE velut peritū ad-  
sciuit. Quid igitur? Patria & sanguine alienus  
sum; sed Professione, & Pietate vester. Vos aures  
animumq; mihi, immò Scholis ipsis paullisper da-  
te. Magnum & inauditum hactenus est, quod di-  
cam, ad veterem vrbis, RHETORVM, & SCHO-  
LARVM vestrarum gloriam; vester est qui dicet,  
qui ad vestrum etiam nutū aut restringet dictio-  
nis seriem aut extendet. Ordinem intra leges li-  
neasque Historiæ habiturus, veritate, & selectu  
distinguam. Ut qui prolixum aliquod iter facit

non in stabulis cunctis & villis commoratur, sed  
in locis aut religione sacris, aut situ amoenis, aut  
antiquitatis fama claris: ita ego in hac Disser-  
tatione non ubique vocem impediens, sed rebus  
excellenteribus impendens, vagabor, & decer-  
pam quidquid ad veram laudem componendam.  
cum delectatione rarum aut eximum erit. Multa  
quidem curiosa inuentio protrudit, quæ silentio  
contemnenda sunt; multa item temporum obscu-  
ritas inuoluit, quæ in primis explicanda sunt: ut nō  
minus supersit, quod dictu vile, quam desit, quod  
inuentu difficile sit. Seligenda autem digna auti-  
bus materia, quæ verborum pompa vesciatur.  
Vetustatem, & hanc ipsam senectutem, quæ in ho-  
mine venerabilis, in locis structurisq; sacra est,  
in primis repræsento; ut, si cui in angustum com-  
pressa dilapsa dignitas videatur, retrò ad memo-  
riam maiorū cogitationes reflectat. minus enim  
despiciet, quid RHETORES, & SCHOLAE PALA-  
TINAE esse desierint, si recordabitur, quid ali-  
quando fuerint. Eloquentia, cum deuicta Græ-  
cia, liberum populum quæreret, Romam, & mox  
Mediolanū, quasi ad socios fratresq; Populi Ro-  
mam commigravit; ita utroque commorata; ut  
cum priscos suos RHETORES, & SCHOLAS Ro-  
ma iactet: Mediolanum RHETORES ac SCHOLAS  
ipsæ. Romæ namque, Suetonio scribente, Sena-  
tus consulto, C. Fannio Strabone, M. Valerio Mes-  
salla Coss. & posteā iterū Césorio Edicto Scho-  
lae Rhetorum sublatæ sunt. Scilicet Martiales il-  
li manu esse strenui quam lingua, &, cum Sallu-

stio dicam, optimus quisque facere, quād dicere;  
sua ab alijs benefacta laudari, quād ipse aliorum  
narrare malebat. Et tunc tamen Mediolani ado-  
lescentes declamationibus continebantur, & in  
toga Eloquentiæ quēdam quasi arma quatiebant.  
Resumpsit verò mox Roma artem quam spreue-  
rat: produxit Mediolanum quam adsumpserat:  
& mox colonias quoque studiorum circumqua-  
que duxit. Nam, vt idem Suetonius auctor est,  
*in Provincias quoque Grammatica penetraverat, ac  
nonnulli de notissimis Doctoribus peregrè docuerūt,  
maxime in GALLIA TOGATA: inter quos  
Octavius Teucer, & Siscennius Iacchus, & Oppius  
Cares.* Quod autem de Grammatica dicit, ad  
Rheticam quoque referendum. Veteres enim  
Grammatici, vt ibidem Suetonius, & Rheticam  
docebant, ac multorum de vtraque arte commenta-  
rij feruntur. secundum quam consuetudinem poste-  
riores quoq; existimo, quādquam iam discretis pro-  
fessionibus, nihilominus vel retinuisse, vel instituisse  
& ipsos quēdam genera Institutionum ad Eloquen-  
tiā preparandam: vt, Problemata, Periphrases,  
Elocutiones, Ethologias, atque alia hoc genus; ne sci-  
licet sicci omnino atque aridi pueri Rethoribus tra-  
derentur. Sed cur non præludent Historiæ faces,  
& tot illustrium virorum nomina distinguūt, qui  
Mediolani docuerunt? Diuisum orbis imperium  
gremio vestro accepisse gloriamenti: quin potiùs  
iam ante Eloquentiæ ac litterarum studio me-  
ruisse vt acciperetis. In contemptum, aut negle-  
ctū denuò amoenior ille animi cultus Romæ la-  
psus;

psus; vt Mediolanum transmigraret: secura im-  
 perij maiestas, quasi alibi consistere non posset,  
 nisi vbi Litteræ ipsæ fundamentum substrauissent.  
 Luxus, Tyrannis, & mille senescentis vrbis mor-  
 bi pepulerant bonas omnes artes, sine quibus fir-  
 ma aut robusta Imperij dignitas esse non poterat.  
 Ergò Mediolani, velut in nouo regno se Virtus  
 explicuit, Litteræ increuerunt, Eloquentia efflo-  
 ruit: Professores admissi aut conducti, qui Suadæ  
 semina priuatim, & mox publicè spargerent. Sed  
 facile fuit procluem naturā arte subigere, & in-  
 natas radices cultu ad fructum prouocare. Fæcū-  
 da enim, & quod Ausonius in laudem magnæ hu-  
 ins vrbis scripsit, FACVND A VIRORVM INGENIA  
 vim & laudem Eloquentiæ propagarunt. Plinius  
 exemplum ad municipes suos transferre conatus  
 est, & Scholæ huius gloriam insigni & magnani-  
 ma liberalitate in vrbe Patria adfectans, lucu-  
 lenter celebrauit. Ego pluscula verba recensere  
 pensum habeo, vt, quod ille iuuentuti suæ factum  
 cupit, ego vestræ gratuler. Libr. IV. Epist. XIII.  
 Tacito scribens: Proxime cùm in Patria mea fui,  
 venit ad me salutandum municipis mei filius præ-  
 textatus. Huic ego, Studies? inquam. Respondit, Etiā.  
 Vbi? Mediolani. Cur non hic? Et pater eius (erat  
 enim vñā atque etiam ipse adduxerat puerum) quia  
 nullos hic Præceptores habemus. Quare nullos?  
 Nam vehementer intererat vestra qui patres estis  
 (Opportune complures patres audiebant) liberos  
 vestros hic potissimum discere. Vbi enim aut iucun-  
 dius morarentur quam in Patria: aut pudicius con-

tinerentur, quām sub oculis parentum, aut minore  
sumptu quām domi? Quantulum est ergo collata pec-  
cunia conducere Praeceptores? quodq; nunc in ha-  
bitationes, in viatica, in ea quæ peregrè emuntur  
(omnia autem peregrè emuntur) impeditis, adi-  
dere mercedibus? Atque adeò ego, qui nondum liberos  
habeo, paratus sum pro Rep. nostra, quasi pro filia,  
vel parente tertiam partem eius quam conferre vo-  
bis placebit, dare. Tot bona olim Mediolanenses  
habuerunt, & nunc habent: benè, si habere se in-  
telligent: benè, si fruantur. At nunc iuuentus otio  
vitijsque demersa, ne paratas quidem artes auet  
cognoscere. Nos stipendium accipimus, ut docea-  
mus: & rogare imò ambire plerosq; debemus, ut  
audiamur. Quid diceres, aut scriberes Plini, si hęc  
tropica videres? Vos prohibete patres, & cogita-  
te quanti momenti sit in vrbe Patria filios ad  
Rempub. præparari: vos prohibete filij, & exem-  
plum posteris tradite quod accepistis. Sed quid  
ita præceps ab aureo illo litterarū seculo ad hanc  
nostram infelicitatem prolabor? Refero gressum,  
& priscos illos RHETORES inquiro; quorū etsi fu-  
gitiua quædam memoria est, conabor tamen ex  
obliuionis latebris eruere aliquam seriem, & æui  
nostrī socordiam castigare. Burdigalenses suos  
Professores, Ausonius celebrauit; Romanos il-  
los, Lucium Plotium, Lucium Otacilium, Epi-  
dium, Sextum Clodium, CAIVM ALBVTIVM  
Nouariensem, Suetonius, siue alius auctor est.  
Ex his ALBVTIVM Mediolani quoque docuis-  
se, aut certè causas egisse, idem Suetonius testa-

tur. Et rursus in cognitione cœdis, Mediolani apud Lucium Pisonem Proconsulem defendēs reum, cùm cohibente licetore nimios laudantium voces, ita excanduisset (Albutius,) ut & deplorato Italiae statu, quasi iterū in formam Prouincię redigeretur; Marcum insuper Brutum, cuius statua in conspectu erat, inuocaret legum ac Libertatis auctorem, & vindicem, pænè pœnas luit. Fuisse autem Mediolani statuam Brutii, & cum magna gloria urbis fuisse Plutarchus in eius vita refert. Fuit verò Mediolani in Gallia Cisalpina (Bruti) statua ærea vultum eius referens, & a flabre efficta, Hanc postmodùm, ut Cæsar conspexit, præteriit. mox subsistens, Magistratus vocavit, palam querens à ciuitate eorum fædus pacis ruptum. quippe in qua hostis seruaretur. Illi principio negare, ac dubij quem significaret, se se mutuò intueri. Cæsar verò ad statuam conuersus, contracta fronte, Numquid ait, iste hic consistit hostis noster? ac tum amplius illi perculsi obmutescere. Cæsar autem arridens, laudauit Gallos, quod amicis essent etiam in rebus aduersis stabiles, iussitque statuam superstitem seruari. Nunc verò concedamus, & Albutium Romanis; si nobis illi AVRELIVM AVGVSTINVM. Concedunt: & gloriari vrbs vestrā professorem potest, quem orbis Christianus doctorem. Quid illustrius relinquere Famæ Mediolanensium potuit Antiquitas? quid vouere aut sperare posteritas? Felicem Romam GREGOKIO, & HIERONYMO dicitis: vos Roma ipsa AMBROSIO, & AVGVSTINO. Augustinum autem, vt vobis orbis vniuersus: ita vos Scholis istis debetis,

in quibus docuit; & è quibus in Ecclesiam venit.  
Sed quomodo docuit? qua ætate? quo stipendio?  
Dicam, quantum potero, distinctè, & succinctè; ut  
sine verborum tœdio voluptatem meam, & simul  
gloriam vestrâ pascam. Exulto enim ipse memo-  
ria tanti viri, quem oratione celebro, munere re-  
presento: vobis autem iucundissimum esse debet,  
remota obliuionis nube, prisca quadam litterarū  
luce resplendere. Erat olim sollempne huic vrbi,  
non è proprio gremio, & sinu doctores, sed aliū-  
de adsciscere; quasi maior quædā reuerentia atq;  
auctoritas externi. Etsi enim benignius ad docen-  
di præmia popularis vocatur, & familiarius ciuis  
ciuem docet; utilius tamen securiusq; ille qui se-  
ueriori iudicio conducitur, nec potest imperitiæ  
suæ tamquam à Patria indulgentiam conciliare.  
Cùm etiam vago quodam errore ab absentes di-  
scendi cupiditas festinet, & iuuentus libertatis  
quadam affectatione alienos lares, & Scholas Pa-  
trijs præferat, prudenti quodam consilio vtraque  
corrigitur; vt domi & in conspectu parentum ac  
patriæ peregrinari, & alienis in terris institui  
quisque videatur, quia ab alieno. Maiori qui-  
dem sumptu exteri, quam proprij conducuntur;  
cùm Patriæ ciuis laborem debeat, quem impen-  
dit; exterus verò, non tamquam ad officium vo-  
cetur, sed impendio ematur ad alienum opus: pu-  
blica tamen iuuentutis vtilitas tati esse debet ne  
impendio retardetur. In hoc etiam gloria Rei-  
pub. versatur, non suis tantum ciuibus, sed alie-  
nis quoque florere; vt hortum laudamus, qui in-

er patria semina exoticam, & aliunde transpor-  
 tam herbam alit. Id profectò iam olim pruden-  
 ter ciuitas vestra usurpauit, ne quis hodiè exter-  
 num arietet, & maximam famam ab externis acce-  
 pit. Vacabat ante mille ducentos nouendecim an-  
 nos, cùm magnus AMBROSIVS Ecclesiæ Medio-  
 lanensi præcesset, hoc munus: & quæsitum Profes-  
 forem ciuitas publicè mittit. Quò? Romam: & ad  
 quem? num priuatum aliquem? at de Repub. age-  
 batur. Ad Q. Aurelium Symmachum V.C. & Pre-  
 fectum vrbis. qui diligentia sua vsus, AVGVSTI-  
 NVM tum fortè Romæ docentem dignum reppe-  
 rit, cui SCHOLAE PALATINAE Mediolanensium  
 committereatur. Venit Mediolanum, AVGVSTI-  
 NVS, docuit, placuit. Deus bone? ipsæ mihi Scho-  
 læ ad felicitatis suæ memoriam subsilire gaudio  
 videntur: vrbs ipsa gestire ad sanctissimi viri no-  
 men. Sed licet pronus in lætis assensus: nolo ta-  
 men tam insignis & luculenta gloria, sub dubia  
 fide vacillet. Docuisse AVGVSTINV M Mediolani  
 iam auiditatē encomij mei non explet, nisi ostendam  
 docuisse: &, si docuisse gloriosum, glorio-  
 sius, si faretur aut gloriatur ipse qui docuit. Tu  
 magne Antistes, qui Rheticum puluerem olim  
 ab ineunte pænè ætate docendo collegisti: qui ex  
 hac ipsa cathedra in Rempubl. Christianam ado-  
 ptatus es, patere illustrem tuo nomine cathedrā  
 esse, quæ nunc Reipubl. Christianæ seruit. Lib. v.  
 Confessionum scriptum reliquit: Itaque posteaquā  
 missum est à Mediolano Romam ad Præfectum vr-  
 bis, vt illi ciuitati RHETORICAE MAGISTER pro-

uidetur, impedita etiam electione publica; ego  
ipse ambiri, per eos ipsos Manicheis vanitatibus  
ebrios (quibus ut carerem ibam, sed utrique nescie-  
bamus;) ut dictione proposita me probatum, Prafe-  
ctus tunc Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum  
ad AMBROSIVM Episcopum in optimis notum or-  
biterra, cuius tunc eloquia strenue ministrabant adi-  
pem frumenti tui, & latitiam olei, & sobriam vini  
ebrietatem populo tuo. Perge, perge AVGVSTI-  
NE, & magnum Antistitem teque ipsum amplius  
depinge. Ad eum autem ducebar abs te nesciens,  
ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me pa-  
ternè ille homo Dei, & peregrinationem meam sa-  
tis episcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primò  
quidem non tamquam doctorem veri, quod in Eccle-  
sia tua prorsus desperabam, sed tanquam hominem  
benignum in me. Et studiose audiebam disputantem  
in populo, non intentione qua debui, sed quasi explo-  
rans eius facundiam, utrum conueniret famæ suæ, an  
maior minorve proflueret, quam prædicabatur, &  
verbis eius suspendebor intentus. Rerum autem  
incuriosus, & contemptor adstabam, & delectabar  
suavitate sermonis, quamquam eruditioñis, minùs ta-  
men hilarescentis aīq; mulcentis quam Faustierat,  
quod attinet ad dicendi modum. Cæterū rerum  
ipsarum nulla comparatio. Totus quidem erat in  
Eloquentiæ studio Augustinus, & in ipso mediæ  
ætatis flore, ad Ambrosij nectar famæ suæ deside-  
rium irritans. Ab Ecclesia, & viri sanctissimi ore  
verborum mellitos globulos ad Scholas transfe-  
rebat, ipse mox à sanctissimo viro ad ecclesiam

transferendus. Cùm verò docendi munus auspicaretur annum agebat plus minus trigesimum. qui erat Christi , nisi me Chronologiæ fallunt , ccc. lxxxiv. & sub ipsa initia mox PANEGYRICVM Bautoni Consuli dixit . quod ipsius iterum verbis breuiter signabo non eloquar, calculatorū more, qui ingentes summas ceris brevioribus exprimunt. Lib. III. Contra litteras Petilianī: Quām multa alia falsa consequenter nō vtrūque dicere, sed etiā inscribere mira temeritate non timuit, cùm ego Mediolanum ante Bautonem Cōsulem venerim, eiq; Consuli Kalendis Ianuariis laudē in tanto conuentu conspectuq; hominum, pro me atunc RHETORICA PROFESSIONE recitauerim. Similiter lib. vi. Confessionum: Quām ego miser eram, & quomodo egisti (Deum adloquitur) vt sentirem miseriam mā die illo, quo cùm pararem recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer, & mentienti faueretur ab scientibus. De eodem enim Panegyrico intelligendus hic locus , tametsi istic se Consulis laudes , hic Imperatoris explicuisse scribit . Cùm enim Arcadius Imperator, & Flavius Bauto Consules hoc anno fuerint: ille in Oriente, hic in Occidente, vtrumque laudauit: magis tamen Imperatorem, quām Consulem; quòd laudādi siue adu landi copiam absentia, & dignitas Arcadij discreuerint; vt restrictior esset veriorque apud præsentem, & priuatum . Lubet nunc in re Antiquitatis curiosum amplius esse , & de Stipendio quoque dicere, an diuinare? ita, ita : sed grande, & luculentum fuisse . Me quidem splendor, & liberalitas

tas Mediolanensium nō sinit angustè sentire, qui cùm ipse honesto sumptu doceam, non videor tamen priscam illam litterarum felicitatem experi ri. Vespasianus, vt Suetonius refert, *Ingenia & artes, vel maxime fuit: primus è Fisco Latinis Gracisque Rhetoribus annua centena constituit, nostra moneta, bis mille quingentos Philippaos siue Ducatos.* Quæ tamen liberalitas si Romanos propriè ornat, vestram accipite. Diocletianus, & Maximianus ( hos enim vultros appellare potestis ) Eumenium Rhetorem *salarium ( verba eius sunt in Oratione pro Scholis instaurandis) in sexcentis millibus nummū accipere iusserunt, Id est, Quindecim millia Philipporum.* Ergò nunc Augustodunum, vbi ille docuit, cum Mediolano, Eumenium cum Augustino, Diocletianum cum Theodosio, aut Arcadio cōparate; nec difficile erit ad magnam aliquam summam Augustini professionem vocare. cuius illa quidem in errore æstuantis ætatis cupiditas fuit, vt honorarium ingens inhiauerit: illa Eloquentia & doctrina, vt obtinuerit. Cupiditate in verò sæpius seueriusq; vir sanctus fatetur, & castigat, in primis lib. vi. Confessionum, vbi vitam munusque suum apud Mediolanenses persequitur. *In hiabam honoribus, lucris, coniugio; & tu irridebas. patiebar in meis cupiditatibus amariissimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcissere, quod non eras tu.* Paullò pōst: non enim possum silentio præterire elegantissimum typum magnarum, & yanarum cogitationum, quibus tumida quædam

eruditio solet ebullire: Trāsiens per vicum quem-  
 dā Mediolanēsem, animaduerti pauperem mendicū,  
 iam credo saturum, iocantem atque ridētem; & in-  
 gemui, & locutus sum cum amicis meis qui mecum  
 erant, multos dolores insaniarum nostrarum, quia om-  
 nibus talibus conantibus nostris, qualibus tunc labo-  
 rabā, sub stimulis CUPIDITATVM trahens infelicitā-  
 tis me & sarcinā, & trahendo exaggerans, nihil velle-  
 mus aliud, nisi ad securā lātitiam peruenire, quō nos  
 mendicus ille iam præcessisset, numquā fortassis illuc  
 venturos. Quod enim iam ille pauculis, & emēdica-  
 tis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumno-  
 sis anfractibus, & circuitibus ambiebam, ad lātitiam  
 scilicet temporalis felicitatis. Non enim verū gau-  
 dium habebat: sed & ego illis ambitionibus multò  
 falsius quærebam. Et certè ille lātabatur, ego anxius  
 eram: securus ille, ego trepidus: & si quisquam  
 percunctaretur me, vtrum mallem exultare, an me-  
 tuere; responderem, exultare. Rursus, si interroga-  
 ret; vtrum me talem mallem, qualis ille, an qualis  
 ego tunc essem; meipsum curis timoribusq; con-  
 fectum eligerem; sed peruersitate, non veritate.  
 Non enim eo me præponere illi debebā, quo doctior  
 eram, quoniam non inde gaudebam; sed placere in-  
 de quærcbam hominibus; non vt eos docerem, sed  
 tantum vt placerem. Propterea & tu baculo disci-  
 plinæ tuæ confringebas ossa mea. Recedant ergo ab  
 anima mea, qui dicūt ei, interest vnde quis gaudeat.  
 Gaudebat mendicus ille vinolētia, tu gaudere cupie-  
 bas gloria. qua gloria domine? quæ non est in te. Nā  
 sicut illud verum gaudium non erat: ita nec illa ve-

ra gloria, & amplius vertebat mentem meam. Et ille ipsa nocte digesturus erat ebrietatem suam; ego autem cum mea dormieram, & surrexeram, & dormitus, & surrecturus eram inde quot diebus? Hæc cupiditas æstuantis adhuc animi; imò hæc facundia cupiditatē detestantis: ut tantū quidem benè dicēdo meruisse, quantū malè cupiēdo affectasse videatur. Docuit igitur AVGVSTINVS ī hac vrbe, & in hac Schola; atq; magno docuit: an etiā scripsit: omnino. Perfectus enim absolutusque Professor esse non potest, nisi περιδέξιος, vt ita dicā, sit, & vocem stili diligentia subsequatur. Iuuentus ipsa stilo sibi viam expedire ad Eloquentiam debet, quam ore exerceat: scribere, vt rectè dicat. Quomodo autem ad scribendum excitabit Professor, nisi & ipse scribat. Nō audiri solūm, sed legi quoque debet, vt continuò doceat. Absentes & posteri in partem fructus veniunt, si expensa tabulis doctrina duret. Breuis est vocis cursus, & ambibus: stilum nec orbis nec vnius seculi spatia terminant. At enim, inquies,

*Fungar vice cotis, acutum*

*Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.*

*Munus & officium nil scribens ipse docebo.*

Id verò ignauum, aut inglorium est: pulchrius, præstare ipsum te quæ doceas. Ego certè in derelicta, & sterili Schola scribendo consequor, vt florentissimum semper auditoriū habeam. Pauci & ipsi rogati sunt, qui vocē meā excipiunt: sed caue ad tam exiguū numerū professionis fructū restrin gas. Pleraque Italia, Gallia, Germania Puteanum

audit, quia legit. quam ego laudem non mihi, sed  
 Scholæ vestræ tribuo, cui potissimum scribo.  
 Agnoscite hunc animum, imò hoc beneficū (cū  
 non sic æstimem?) velut liberale corollarium vo-  
 cis. Beneficium enim est, quod necessitati nō ob-  
 noxiū, prodest: nisi tamen officiū putetis, quid-  
 quid benè publicè sit. Professor quidem docendo  
 præstat, quod Scholæ, & iuuentuti debet: scriben-  
 do otium ipsuni, & priuatam libertatem in publi-  
 cū confert. Sic Prisci illi Rethores, sic vester Av-  
 gustinus, cuius & ipse exemplum cepi imitari.  
 Ex illis enim, q̄ hoc biénio in lucem produxi, PA-  
 NEGYRICVS circumfertur, GENIALIVM SERMO-  
 NVM, liber legitur, MVSATHENA canitur, ITER  
 NONIANVM teritur, EPISTOLARVM PROMVL-  
 SIS libatur. ELOQVENTIAE AVSPICIA celebran-  
 tur, DE DISTINCTIONIBVS SYNTAGMA lauda-  
 tur. AVGVSTINV autem quid stilo Mediolani  
 Professor emolitus est? Ex ipso volo audiatis, ne  
 quis ambitiosum iudicet propria scripta recense-  
 re. Lib. I. Retractationum: Per idem tempus, quo  
 Mediolani fui, Baptismum percepturus, etiam Di-  
 sciplinarum libros conatus sum scribere, interrogās  
 eos qui mecum erant, atque ab huiusmodi studijs non  
 abhorrebant: per corporalia cupiens ad incorpora-  
 lia, quibusdam quasi passibus certis, vel peruenire,  
 vel duci. Sed earum solum DE GRAMMATICA li-  
 brum absoluere potui, quem poste à de armario no-  
 stro perdidī: & DE MVSICA sex volumina, quan-  
 tum attinet ad eam partem, quæ Rhythmus voca-  
 tur, sed eosdem sex libros iam bapiuzatus, iamq;

ex Italia regressus, in Africa scripsi. Inchoaueram  
 quippe tantummodo istam apud Mediolanum disci-  
 plinam. De alijs verò quinque Disciplinis illic simili-  
 ter inchoatis, De DIALECTICA, De RHETORICA,  
 De GEOMETRIA, De ARITHMETICA, De PHI-  
 LOSOPHIA, sola principia remanserunt: quæ tamen  
 etiam ipsa perdidimus; sed haberi ab aliquibus exi-  
 stimo. O indefessum ingenium? ò lucubrationes  
 dignæ tali ingenio. Præsttit verò ista in litteris  
 Deo iam (ut ipse loquitur) seruientibus; sed adhuc  
 in Superbiæ Scholam, tamquam in pausatione, ser-  
 uientibus. Quid si etiam plura? Quid si CONTRA  
 ACADEMICOS LIBROS TRES? Quid si DE BEATA  
 VITA LIBRVM singularem? Quid si DE ORDINE  
 LIBROS DVOS? accuratum opus? Quid si SOLI LO-  
 QUIORVM LIBROS DVOS? Quid si DE IMMOR-  
 TALITATE ANIMÆ LIBRVM singularem? Enim  
 verò dicatis non ad docendum, sed scribendum  
 conductum. & tamen scripsit, sicuti in libris Re-  
 tractionum ipse testatur. Felicem urbem, quam  
 tot egregia volumina natalem habent? Felicem  
 Scholam, cui acceptam referre hæc famam suam  
 vrbs debet. Quid autem si hæc omnia intra bien-  
 nij spatum, quo Mediolani fuit; Scripta enim an-  
 tequam Baptismatis Sacramento initiatetur: ini-  
 tiatus autem anno secundo postquam Mediola-  
 num venit, cum intereà Scholam renunciasset.  
 Cur autem renunciauit? quia difficultas spirandi  
 continuo per æstatem vltimam studio contracta  
 vocis officium impediebat: quia Deus ipse AV-  
 GYSTINVM deposcebat. Rem producem è lib. ix.

Confessionum. Et placuit tibi (Deus) in conspectu tuo, non tumultuose abripere, sed leniter subtrahere ministerium linguae meae Nundinis Loquacitatis; ne ultraeius pueri meditantes, non legem tuam, non patrem tuam, sed insanias mendaces, & bella forensia mercarentur ex ore meo arma furori suo. Et opportune iam paucissimi dies supererant ad vindemiales ferias; & statui tollere illos, ut sollempniter abscederem, & redemptus a te iam non redirem venalis. Paullò post de morbo apertiùs: Quid etiam, quod ipsa aestate litterariolabore nimio pulmo meus cedere cuperat, & difficulter trahere suspiria, doloribusq; pectoris testari se saucium, vocemque clarioram productiorem recusare, primò perturbaverat me; quia Magisterij illius sarcinam pænè iam necessitate deponere cogebar; aut si curari, & convalescere potuisset, certè intermittere. Amplius ex eodem libro: Renunciaui, peractis Vindemialibus, ut Scholasticis suis Mediolanenses Venditorem verborum alium quererent; quod & tibi ego seruire delegisset; & illi Professioni, præ difficultate spirandi ac dolore pectoris non sufficerem. Denique, ut sermonem transferam: Et venit dies, in qua etiam actu soluerer a PROFESSIONE RHETORICA, unde iam cogitatu solutus eram. Et factum est: & eruisti linguam meam, unde iam erueras cornuum. Fecit igitur AVGVSTINV S Mediolani, quod paullò ante Victorinus Rhetor Romæ, ille, ut Augustinus ipse loquitur lib.viii. Confessionum, doctissimus senex, & omnium liberalium doctrinarum peritissimus; qui que Philosophorum tam multa legerat, &

dijudicauerat, & dilucidauerat; doct̄or tot nobilium  
 Senatorum; qui etiam ob insigne Magisterij, quod  
 ciues huius mundi eximum putant, statuam Roma-  
 no foro meruerat, & acceperat, vsque ad illam æta-  
 tem venerator idolorum sacrorumq; sacrilegorū  
 particeps. Is autem quid fecit? Scholas Romanas  
 deseruit; & exemplum Augustinus accepit, quod  
 Mediolani sequeretur. Verba eius sunt, lib. viii.  
 Sed ubi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino  
 ista narravit, exarsi ad imitandum. ad hoc enim, &  
 ille dixerat. Quid igitur? ego Professionem Augu-  
 stini nomine insignire audebo, quam Augustinus  
 ipse tanquam vanam reliquit, tamquam noxiā  
 perstrinxit? vocat ecce Superbiæ Scholam, Nun-  
 dinas Loquacitatis, Insanias mendaces: & alibi,  
 Mendacij cathedram: seipsum, Verborum vendi-  
 torem. Ita est: sed cautè dicendi ille feruor expli-  
 candus est; ne tam vetustam memoriam adurat.  
 Nondum Christiana modestia Gentiles Scholas  
 penetrauerat: nondum loquacem fastum Verita-  
 tis professio represserat: debellata Gentilitas etiā  
 in Scholis triumphabat. Recens & valida etiam  
 apud impios lex Iuliani erat, qua à Professione lit-  
 terarum Christiani arcebantur. Augustinus ipse  
 signato loco, de Victorino: Posteaquam verò, &  
 illud addidit (Simplicianus,) quod Imperatoris Iu-  
 liani temporibus lege data prohibiti sunt Christiani  
 docere litteraram, & Oratoria (quam legem ille  
 amplexus Loquacem Scholā deserere maluit, quam  
 vobum tuum, quo linguas infantium facis disertas)  
 non mibi fortior, quam felicior visus est; quia inue-

nit occasionem vacandi tibi. Ammianus Marcel-  
 linus lib. xxii. Illud autem inclemens, obruendum  
 perenni silentio, quod arcebat docere Magistros Rhe-  
 toricos, & Grammaticos ritus Christiani cultores.  
 Statum igitur, & conditionem Scholarum Augu-  
 stinus, non ipsas detestatus est: qui cum Religio-  
 nem non inueniret in Scholis, Scholas deseruit;  
 vt Religionem potius quam Eloquentiam profi-  
 teretur. Erat Eloquentia in Scholis, Religio non  
 erat: & cum Augustino Eloquentia ipsa Scholas  
 deseruit, vt Christiana libertas intraret. Intravit:  
 & fœda stigmata venustis encomijs dispuxit. Su-  
 perbiæ Schola erat? Modestiæ domicilium factū:  
 Nundinæ loquacitatis? tranquillæ Suadæ sacrariū  
 exstitit: Insaniæ mendaces? Bonæ mentis regula  
 euasit: Mendacij cathedra? Veritatis quies, &  
 magisterium successit. Verborum venditor ipse  
 Professor? Christianæ facundiæ promus audijt.  
 Tales profectò reliqui aliquo post interuallo qui  
 secuti: &, iam vbique terrarum Gentilitate pro-  
 strata, BONVICINVS RIVIVS, per noctem illam té-  
 porum in Scholis nostris clarus, in Republ. po-  
 tens: qui, si lapidi fides, Xenodochium in oppi-  
 do Legnano hodie pietatis fama superstes exstru-  
 xit; qui in hac ipsa vrbe pijssimum, & toto orbe  
 venerabilem ritum, quo ad æris signum humanæ  
 salutis initium religiosa memoria cottidie reco-  
 limus, instituit; denique qui Italicam linguam ru-  
 dem etiamtunc, &, vt ita dicam infantem, stilo  
 & eloquio colere aggressus est, cum ne in Scholis  
 quidem Barbaries Latinitati pepercisset. Erant

quidem illa tempora, velut in nubilo posita, sine  
ulla pœnè cura aut cogitatione Posteritatis: ob-  
ducta memoria insigniū Professorum, donec tan-  
dem illa Barbarorū vltima tempestas detonuit,  
& res Mediolanensium in serenitatem datæ. Tum  
noua vndique lumina exorta pri scam ingeniorū  
felicitatem reduxerant. Docuit vir disertissimus  
FRANCISCVS PHILELPHVS, qui à Io. Maria Ga-  
lentio annum agens LXXIV. Mediolanū vocatus,  
postquam Romana, & Bononiensi Professione  
inclaruisset, nō minùs senectute venerabilē hanc  
Scholam, quam Eloquentia senectūrem effecit.  
Quasi urbem vestram reueritus, experiri alibi co-  
natum suum voluit, ut matura, & adulta huc stu-  
dia inferret. Senectus autem cùm vbique vene-  
rabilis, tum in pulpito religiosa, & sacra est, pēnē  
discentibus adorata. Ut enim imperium poten-  
tioris sustinemus, æqualis fastidimus: ita præce-  
pta iunioris aut senis. Quid igitur tantūm decre-  
pitos habebit nostra Schola; & vicinum cathedrę  
capulum faciemus? absit. Floreat interdum cum  
adolescente, vigeat cum viro; quia & hi senes es-  
se possunt. Studiorum Præsidi Apollini non ca-  
nos, sed lanuginem Antiquitas consecrauit; &  
mea quidem caussa plurima eorum exempla con-  
ferrem, qui præmaturè docuerunt, nisi ætatem  
impertrassem. Post PHILELPHVM gloria, & fru-  
ctus se Scholæ amplius diffudit: ac Professores  
exitere. IOANNES COLA, DEMETRIUS CHAL-  
CONDYLES, ARON BATALIVS, PHILIPPVS BE-  
ROALDVVS, GEORGIVS MERVLA, STEPHANVS

NIGER, M. ANTONIUS MAIORAGIVS, OTHO  
LUPANVS, AONIVS PALEARIVS, FRANCISCVS  
CICEREIVS, IO. PETRVS MARCHESONIVS.

*Multi prætereà quos fama obscura recondit.*

Ego tandem suffectus sum, vt tot eruditos viros  
studio, & diligentia referrem. Adnitar verò, vt  
referam, sic iuuentus faueat, ac viam ad Eloquen-  
tiam ituris faciam, quæ à Virtute non abducat.  
Quorsum enim linguam instruamus, si animus in-  
cultus? Non eloquentes tantum, sed bonos Res-  
publ. ciues à Professore expectat: nec ille verè elo-  
quentes exhibere poterit, nisi si bonos. Eloquen-  
tia namque, vt Statius Cæcilius vester, vester in-  
quam, & sic propriè vobis scripsit, *Innocentia est.*  
Scribere hoc nisi Mediolanensis non poterat: &  
sic nulli rectius quam iuuentuti vestræ præscribi.  
Ergò retinete nomen, & laudem priscam Innocé-  
tiæ; vt Eloquentiæ inueniatis. *Neque enim* ( vt  
Quintiliani verbis sententię meę pondus appen-  
dam (esse Oratorem, nisi bonum virum iudico: &  
fieri etiam si possit, nolo. SCHOLAS antiquitùs fui-  
sse, satis ostendi: sed PALATINAS fuisse, reliquus  
labor:iucundus facilisq; futurus, si benignā dein-  
ceps fauoris vestri aurā experiar. A Romano Pa-  
latio, PALATINVM dici, clarum. Non continuit  
se Romæ Palatij maiestas, postquam Cæsarum es-  
se domicilium cœpit; sed per Prouincias sparsa;  
vt toto terrarū orbe Imperator habitaret. SCHO-  
LAE verò PALATINAE, quasi Palatio digniores,  
in alteram dumtaxat Romam, postquam Romæ  
esse cœperunt, potuerunt traduci. Tantum inter

Imperatorem & Eloquentiam intererat. Ille humilia passim tecta, & mœnia subibat: hæ non inueniebat dignitatem suam, si aliò, quām in urbem vestram commigrarent. Fuisse autem Romę Scholam siue Auditorium PALATINVM, in quo Carmi na, Historiæ, sed & Orationes, & Dialogi publicè recitabātur, inficias Romanitatis peritus nō ibit. PALATINVM inquit; quia in templo Apollinis Palatini. Nam cùm se hac recitatione abstinere Horatius scriberet,

Hæc ego ludo

Quæ nec in æde sonent resonantia, iudice Tarpa;  
& alibi item ædem nominaret, *Vacuam Romanis vatibus ædem;*  
Scholia vetera ædem utrobius Apollinis Palatini interpretantur. Plinium huc voco de Claudio Imperatore, lib. i. Epist. XIII. *Memoria parentum Claudium Cæsarem ferunt, cùm in PALATIO spatiaretur, audissetq; clamorem, caussam requisisse;* cumq; dictum esset RECITARE Nonianum, subi-  
tum recitanti inopinatumq; venisse. Ecce Palatiū, ecce Recitationem. Si autem vicinus ille clamor,  
& si in æde; ubi, nisi in Apollinis Palatini? Dice-  
rem & de Schola Palatina Ciceronis, nisi priuata  
ea fuisset: quam quidem domi se habuisse sæpius  
scribit; & lib. II. Epist. IV. ad Atticum, *Palestram*  
*Palatinam nominat: His temporibus, tam dubia*  
*vita optimi cuiusque, magni æstimo unius æstatis fru-*  
*etum PALESTRAE PALATINAE, scilicet quem in*  
*domo sua Palatina docendo, & differendo capie-*  
*bat. Lib. VII. Ad familiares, Epist. XXXIII. Volum-*

nio scribens. Quòd Declamationibus nostris cares,  
caussa inuidendi; nisi forte ipsius Eloquentia magis;  
quàm quòd me audiret, inuideres. Ibidem: Nam &  
Cassius tuus, & Dolabella noster, vel potius vterque  
noster, studijs iisdem tenentur: & meis æquissimis  
vntur auribus. Iterum lib. ix. Epist. xvi. Hirtium  
ego, & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnan-  
di magistros. Puto enim te audisse ( si forte ad vos  
omnia perferuntur ( illos apud me declamitare, me  
apud eos cœnitare. Quid Romæ; quid in priuato  
adhuc moror? Mediolanenses nostras, & publi-  
cas PALATINAS per Antiquitatem inuestigo: an  
iam distinguo? Nominare enim Symmachus vi-  
detur, qui Mediolanum, ad Mineruum scribens  
lib. iv. Epist. xxxv. Amicitiæ ætatem ac fidem ab  
Eloquentia Palatina ducit: Prætcre à cùm PALA-  
TINAE ELOQVENTIAE militares, porrexì amicitiæ  
tuæ dexterâ. Si verò Palatina ista Eloquentia Me-  
diolani, ubi, nisi in Schola Palatina? vnde etiam  
firmior robustiorq; amoris nodus, quàm è com-  
munibus studijs, & Scholis? Neque enim, vt ve-  
rissime Quintilianus, est sanctius, sacris iisdem,  
quàm studijs iniciari. Mediolani igitur olim SCHO-  
LAE PALATINAE: Ego tamen, videte confiden-  
tiā meā, quasi aliunde dictionis votum imple-  
turus, Symmachi loco non vtor: quē ad aulæ tri-  
bunalia, & aduocationes militares, quibus Pala-  
tium perstrepebat, sciām posse referri. Augusti-  
nus noster pro hac sentētia scripsisse videtur lib.  
viii. Confessionum. Venit & ad me, & Alipium  
Potitianus quidam ciuis noster, inquantum Afer,

præclarè in Palatio militans. In Palatio autem Mediolanensi. Et Ammianus lib. xxx. de hoc idē genus Aduocatis: *Qui tenuorum negotia Militaris rei Rectoribus, vel intra Palatum validis, venditantes, aut opes, aut honores quæsiuere præclaros.* Militum autem Scholæ illæ Palatinæ fuerunt, ad quos multarum redire partes solebant. Ita Historiæ passim, & libri iuris dolet, Scholasq; Palatinas nominant. Idem Ammianus lib. xiv. De Thalassio: *Scribens ad Cæsarem blandius, adiumenta illi paullatim subtraxit, sollicitari se simulās, ne quod militare otium, fere tumultuosum, in eius perniciem conspiraret; solisq; SCHOLIS iussit esse contentum PALATINIS.* Paullò pòst: *Montius tunc Quæstor, asper quidem, sed ad lenitatem propensior cōsulens in commune, Aduocatos PALATINARVM primos SCHOLARVM allocutus est mollius.* In Codice vero Iustinianæ quoties, & quot modis SCHOLAE PALATINAE repetuntur? Cui otium, & curiositas, per sparsas, & confusas illas leges erret. Ego hoc addo, totum illum aulicum siue Palatinū gregem in Scholas distributū, varios honoris titulos prætulisse. Ut tamen & nostræ huic Militiæ litterarię ius augusti nominis Palatum concedat, Antiquitatem flagitabo. Romani, post varia bella, & discrimina, Italia potiti, & in quædam quasi studia pacis dati, cùm in vrbe Patria ornanda ambitionem fatigassent, Mediolanum conuersi sunt; ut in populum Romano nomine dignū Imperij opes, & opera effunderent. Sic igitur aliis novo murocum ambitu, & *velut complexu* venustā, & ama-

tam urbem strinxit. Alius templorum maiestate  
 Deos ipsos è cœlorum erroribus euocauit. Alius  
 & resiles aquas, & nouos amnes velut æstuantis  
 vrbis visceribus infudit. Alij Circum, Theatrum,  
 Curiam, Capitolium quorum nunc reliquias cor-  
 radimus, & vno verbo, Romam ipsam Mediola-  
 ni struxerunt. Nerua posteà Imperium quoque  
 communicans, Palatum Augustale cōdidit: aliud  
 Traianus: aliud Maximianus, pariter enitentes, ut  
 structuræ, & habitationis quodam iure in origi-  
 nem SCHOLARVM PALATINARVM laudatentur.  
 Ut Scholarum nomen duraret, plura Palatia con-  
 dita: & durauit; ut quisque Palatij memoriā Scho-  
 larum confinio deberet. Vbi essetis superbi cona-  
 tus, nisi hæ Scholæ nostræ essent? vixiſſ: & tamen  
 viuitis, quia illæ viuunt. Tanti refert domicilium  
 sibi Princeps, an Musis exstruat. Maximianus ve-  
 rò, ut vniuersam hanc gloriam ad se traheret, &  
 Herculeus dici voluit, quasi cū Hercule ipso (qui  
 Genius vrbis olim habitus) tutelam Mediolanen-  
 sum gerens; & Herculi fanum, cuius sedecim il-  
 læ striatæ, & ingentes è marmore columnæ exstāt,  
 Musarum sacrario iunxit. Ille qui consortem Im-  
 perij Diocletianum ferebat, ab origine Scholarū  
 Neruam, ac Traianū remouit: & in hoc fortè bo-  
 nus laudatusq; Imperator. Erat iam Romæ tēplū  
 Herculis Musarum, quod in Circo Flaminio Ful-  
 uius ille nobilior ex pecunia Censoria fecerat:  
 Mediolani Imperator ipse studijs tutelarem con-  
 cilians, structuræ miraculo Herculem Musagetam  
 coluit; vt Musarum quies hic quoque defensione

Herculiss, & Herculis virtus voce Musarum æterna esset: vos autem, non solùm benedicendi disciplinam, Musarum cultu; sed benè faciendi, Herculis subsidio acciperetis. Hercules tamē in hac vrbe Romana etiam fata expertus, & inter rudera sepultus, nomē pēnē ipsum memoriamq; exspirauit. Sic Musæ, sine duce per ruinas vrbis errantes, in humiles tandem parietes augustum Palatij nomen intulerunt. Sed cur non te video, ò prisca vrbs, & vultum priscæ Scholæ? Conulsa, & pænè eiecta sedibus tuis iaces; quid nisi funus antiquæ maiestatis repræsentans? Vrbem tamen per umbram, & nebulam lustrare in Elogio Ausoniano ausim; vt Scholam inueniam.

*Et MEDIOLANI MIRA OMNIA, copia rerum,  
Innumeræ cultæq; domus, FACVND A virorum  
INGENIA, antiqui mores: tum duplice muro  
Amplificata loci species, populiq; voluptas  
Circus, & inclusi moles cuneata Theatri:  
Templa, PALATINAEQ VE ARCES, opulensq;  
moneta:*

*Et regio HERCVLEI celebris sub honore lauaci.  
Cunctaq; marmoreis ornata peristyla signis:  
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis,  
Mæniaq; in valli formam circumdata labro  
Excellunt: nec iuncta premit Vicinia ROMÆ.  
Ecce MIRA OMNIA: sed in primis ARCES PALATINAE. illæ inquam Maximiani, quæ diuino etiā cultu, licet impiè insignitæ sunt; vt illustriùs Schole denominaré tur. Mamertinus in Genethliaco:  
Quid illud, Dij boni? quale pietas vestra (Diocle-*

tianum, & Maximianum compellat ) spectaculum dedit, cùm in MEDIO LANENSI PALATIO, admis- sis qui SACROS VULTVS ADORATVRI erant, conspecti estis ambo; & consuetudinem simplicis vene- rationis geminato numine repente turbastis? Inter Vrbis igitur miracula PALATIVM conspicimus. vbi autem Schola? Itane, Ausoni, maximum órnamen- tum Elogio secreuisti? at tuum hodiè Elogiū, & imaginem Schola recepit; imò in fronte præ- fert, velut suum proprium, & vrbis decus. Repe- to, & altiori voce increpo: vbi, Ausoni, Schola? An PALATIO inclusisti? Ita existimo. dignius enim habitare Litteræ non poterant, nisi vbi Im- perator: nec debebant alibi, nisi vbi Imperator. Oculos vestros appello: hic ipse situs annon vete- rem memoriam exponit? Non in publico tātūm, aut in foro, aut in Comitio, sed in ipso hodiè Pa- latio docemus. Postquam enim OLDRADVS TRESSENVS Prætor, anno ̄̄. CC. XXXIII. no- uum Palatium istud in nouo foro exstruxisset; hic locus Gynæceium siue Palatium minus, in quo Prætorum vxores habitarent, recepit: quod à MATTHAEO VICECOMITE, ̄̄. CCC. XVII. in minorem Curiā transmutatū, mox SCHOLAS PA- LATINAS admisit. In Palatium igitur, atque adeò Curiam à Io. MARIA GALEATIO litterarū aman- tissimo Principe Eloquenriæ sedes, velut propriū regnum, translata est; vt in nouo loco auitum no- men inueniret. an & Principem, nouumq; Musa- getam? Omnidò. vicinus enim ille; imò in cōspe- ctu, tametsi recessit: recessisse autem videtur, vt

locum Scholæ daret: neque tamen recessisse, qui nunc etiā cōtubernij ac præsentia felicitate Scholas profundit. Vbi enim habitare Princeps videtur, nisi cum Republ. vbi autem Respub. nisi vbi ius, & Iustitia vrbis? Intra hæc septa comitia feruent, suffragia feruntur, & priuatus quisque velut in Populi cauſſa versatur. Nunc verò Schola ipsa, quid nisi Palatium? Pulpitum, & suggestū, quid nisi solium? Professor, quid nisi imperantis imaginem adumbrat? In publico, & cottidiano consensu hic vnuſ eminet, dicit, docet: in hūc vnū oculi omnium coniecti; vnuſ omnes respicit: ab huius omnes ore pendent, ad huius omnes nutum mouentur. Etenim Suadæ Myſta, si orat, potentior imperante est: si docet, melior. Impellit enim quo vult orando auditores suos; & hi ipsi affectum accipiunt quemcunque Orator induerit. Docendo verò rudem, & ligatum, ut ita dicam, discen- tis animum linguamq; expedit, ad benè pariter faciendum ac dicēdum. Similitudinem igitur Principis Professor repræsentat. vbi? in Schola; imò in Palatio. Scholasticum enim hoc Palatiū est, atque adeò PALATINA SCHOLA. Palatium; in quod si- ne ruboris impedimento introire: Schola; in qua discere, ætas & ordo quisq; possit. Tu qui junior, obscurior, pauperior, puta te in Scholam venire: tu qui maturior, nobilior, potētior, in Palatium. In Schola alendus, & roborandus est animus, ut in Palatio consistat. Bone Deus? quæ hæc ratio est? quod benè discias publicè, pudor est; quod male facias laudem habet? Ad publica vitia, & libidi-

nes corrupta verecundia ruit; ad publicam vocē  
 si quis pedem intulerit, erubescit: postquam retu-  
 lerit, pusillum temporis queritur se, quia non per-  
 diderit, perdi disce. Quid malum, sportulis, aut cę-  
 nis conducendi Auditores sunt, aut nummo con-  
 ducēdi, prisco vito, qui subsellio mihi cōpleant?  
 qui applausum commoueant? qui Scholæ dignita-  
 tem suffulciant? Nec Sophocles, nec Laudicenos  
 moror: voueo tantūm, vt sint qui dignentur do-  
 ceri. nec enim vt ipse disertus videar laboro, sed  
 vt alios faciam. At iam priuatim, inquiet aliquis,  
 Eloquentiam haurio, iam puer hausi. Nescio; sed  
 tamen qui audire fastidit, quæ semel didicit, quid  
 nisi pœnitere videtur se didicisse? Rectum bonū-  
 que ingenium libenter audit, quod docere quoq;  
 possit. Adde quòd rerum omnium fragilis, & fu-  
 gitiva quedā memoria est: Licebit autē alieno su-  
 dore varias doctrinæ imagines irrigare, vt viuāt.  
 Si non fructum hunc capies, vt discas; voluptatē  
 capies, vt scire te intelligas. Quid si etiā meliora  
 quædam paro, non in vimbris Scholarum obvia?  
 Post cœnam, bellaria nemo sfernit. Per ripā ego  
 fluminis, & supercilium riui spatiati soleo, non  
 vt bibam, sed vt vitreo colore oculorum hilari-  
 tatem pascaui, aut Nymphaeum gratissimo mur-  
 mure auribus delicias faciam: ita hic licet. Mar-  
 cum Ciceronem, ipsum Eloquentiæ Principem, &  
 Scholæ nostræ Dictatorem Suetonius M. Antonij  
 Gniphonis Grammatici Scholam frequētasse scri-  
 bit, etiam cùm Prætura fungeretur. Imitare, & ad  
 honestam voluptatē veni, ad amoeniorem aliquā

doctrinam, ad quam à Principe, & Republ. vocari. Publica enim hæc institutio est, qua ciues sibi Princeps format, Resp. adoptat. Ille ut dignos republ. hæc vt Principi deuotos faciat. Bonos esse ciues salus Reipubl. est: & Princeps bonus, hoc à Republ. meretur, vt tales regere possit, qualis ipse est: hoc etiam officium Reipubl. vt Principi similes subditos exhibeat. ita enim facili freno ab uno multi reguntur, si in vnius multi exemplum conspirent. Noster verò Princeps ille ab ipso Marte creatus, et si bonus sine litteris, & utilis Reip. contigit; intelligit tamen se bonos sine litteris ciues habere non posse. Illius quidem tantū tamq; diuinum ingenium est, vt sine litterarum administrulis boni ac gloriosi Gubernatoris nomen tueatur. bonus ex eo, quod prospicit: gloriosus, quod sine litteris. Noscatur igitur Iuuentus Princeps suum, & sub illo florentem Rempubl. noscat in hac Schola. Capita ecce proscriptorum ciuitatis oculis pro Porticu nostra exponuntur; proscriptionis minæ proclamat; vt in illo potissimum loco ciuium iure, & commercio scelerati priuentur, vbi ad Patriam conseruandam, augendam, ornandam instituuntur: illic potissimum pœnam suam populo ostendant, vbi ad præmium promouentur. Hic enim usus Scholarum, quas qui amat, & frequentat seipse dignum Republ. & Fama parat: qui negligit, & spernit, iners otium ad enormia facinora souet. A Schola igitur ipsa Respubl. pendet: ac tantā quidem Rempubl. habituri estis, quantam Scholam facietis. Hæc enim, quemad-

modum in ipso homine cor, ita in ciuitate vestra  
censeri debet, vnde vis, & vita omnis ingeniorū  
per vniuersum, & diffusum istud corpus deriuat-  
tur. Hęc vultum ipsum ciuitatis recipit, & facit. Si  
publicum aliquod gaudium est, vbi effusius exul-  
tatur? si dolor, vbi mœstiū plágitur? vt mihi qui-  
dem videatur vterque Reipub. status, seu prosper  
seu aduersus, in Auditorio isto posse explorari.  
Intra modò, vt, si pars aut membrum Reip. videri  
vis, te ipsum inuenias. Intra, NAM ET HIC DIL  
SVNT. Non ego ædificium tibi commendo, sed  
Professionem; non pulpiti pretium, sed dignita-  
tem; non sedilium ordinem, sed usum; nō laquea-  
ria ista, sed errantem imaginem Suadæ; non adi-  
tum, stationem, proscholium, porticum, signa, co-  
lumnas, non deniq; marmoreā illam, & augustā fa-  
ciem: quia sine his omnibus utilitas ac maiestas  
Scholarū infracta est; & hæc omnia, aut meliora,  
aut deteriora esse tēporis, aut benignitate, aut in-  
iuria possunt. Ipsum tātūm nomē inculco, PALA-  
TINAS esse: & quod nomini coniunctum, in me-  
ditullio ciuitatis sitas. Scilicet vt in cælo, median  
ferè regionem Sol obtinet dux, & princeps, & mo-  
derator luminum reliquorum mens mundi, & tempe-  
ratio: ita hæc Schola centrū vrbis inter tot Gym-  
nasia, & Collegia circumfusa, è quibus facilius  
breuiusq; ad publicam Suadam Iuuentus concut-  
rat. Itaque Scholæ principi minora illa astra ser-  
uiant, illi conspirantes cētus, illæ nouæ, & adulte  
faces, quæ per caliginem hanc litterarum accen-  
sæ, umbratiles cathedras implēt. Renascitur pri-

tum SCHOLAE PALATINAE nomen ac numen,  
sed etiam nunc in crepusculo gloriæ positum, &  
frigore: obseptum fuligine quadam, & velut re-  
liquijs noctis, quæ magno animo euincendæ sunt,  
aut certè contemnendæ, dummodo ne noceant.  
Sed quid animi crucior? terrebunt magis, quām  
nocebunt; ac impedire lumen publicum poterūt,  
motum non poterunt. Impelletur enim altiori au-  
xilio votum bonæ mentis; ac vret delebitq; coa-  
ctas illas nubes. Ego quidem non solus, sed tamen  
primus Eloquentię hunc currum ago: felix, si non  
primus vocis stiliq; impedimenta experior. Sed  
carpe; & simuli caue, quisquis infestus conatibus  
meis es. Ita enim contra publicam liuoris petulan-  
tiā animum obarmaui; vt & concoquere repre-  
hēsiones possim, si merear; & iudicare, an merear.  
Longe quidem à spe gloriæ remotus est, qui re-  
prehendi non consueuit: longius, qui contemnit  
reprehendi. Ille enim qui non consuevit, simpli-  
citat's vitio errare in minimis se putabit, si modò  
reprehendatur: qui contemnit, arrogantiæ impo-  
stura ne in maximis quidem posse; cùm tamen  
maximè possit. Ego autem, & reprehendi assueui,  
dum eruditus sum; nec contempsi, ubi reprehen-  
sus sum: hoc imprimis meo bono, quod supra re-  
prehensiones citius euasi. Correctorem enim qui  
sustinet, priusquām didicit, sciētiæ proximus est;  
qui postquām didicit, scientia maior est. Nunc  
quoniam de situ Scholarum dicere cœpi, circum-  
ferte etiam oculos, & circumfusam aliquam pom-  
pam, imò laudem agnoscite: illas circumquaque

subseruientes Bibliothecas, illam supellectilem  
 Musanum: illam totò foro Mercurium sollicitū;  
 illos è pegmate perstrepentes aetalogos, mimos  
 histriones, quiq; spuriam quamdam Eloquentiā  
 gesticulationibus vediunt, ex ipsius Scholē confi-  
 niō linguae præsidium captantes: Scholam ipsam  
 non humi neglectam, sed in sublimi suspensam,  
 supra sordes, & studia vulgi. Suspēsam; ut in ipso  
 consensu studiorum difficultatem aliquā, & mo-  
 lestiā præsentias: postea, quietem ac voluptatem.  
 Experire, & si in publico eminere vis, in publico  
 disce; imò Eloquentiam, si eminere. Hæc enim ar-  
 tis illius natura est, vt parati non possit, nisi ubi  
 usum habet; usum autem habet in publico. Itaq;  
 priuatim loqui disce: publicè, eloqui. ad loquen-  
 dum enim Natura, aut priuata institutio sufficit:  
 ad eloquēdum Ars, & Exercitatio publica neces-  
 satia est. Hinc Quintilianus, optimus dicendi Ma-  
 gister: *Ante omnia futurus Orator, cui in maxima  
 celebritate, & in media Reipub. luce viuendum est,  
 adsuescat iam à tenero nō reformidare homines, ne-  
 que illa solitaria, & velut vn. bratili vita pallesce-  
 re. Excitanda mens, & attollenda semper est, quæ hu-  
 iusmodi secretis, aut languescit, & quemdam velut  
 in opaco situm dicit, aut contrà tumescit inani per-  
 suasione. necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se  
 nemini comparat. Vbi autē excitanda mens, nisi in  
 luce Scholæ Palatinæ? in hac imagine Antiquita-  
 tis? in hac gloria vrbis? Demus, demus è priuato  
 puluere Eloquentiam aliquam posse excrescere:  
 ferunt tamen amoeniorem ac valentiorem libera*

hæc spatia; sicuti indomitus ager herbæ letiores.  
Quid verbis opus est? Eloquentiæ imaginem quādām Scholæ priuatæ adumbrant; faciem ipsam publicæ repræsentant. Refert etiam in umbra, an in luce verseris; liber, an sub iugo. Magnum animum prodit, magnamq; de se spem Reipubl. prebet, qui discit ubi non cogitur. Nam priuatæ illæ Institutiones ultra leges suas ingeniorum fructū vix producunt: & in vinculis illis studet magis quām proficit iuuētus, simul cum vinculis studia excussura, nisi iam publicè sua spōte exercere ingenium adsuescat, dum cogitur priuatim. A priuatis exercitationibus neminem abstractum cupiam: tantum à publicis non seclusum. Nemo ire quemquam publica prohibet via. Quæ enim hæc miseria, aut infelicitas Mediolanensem, habere veterem illam Eloquentiæ Scholam, habere Professores? Eloquentiam qui discant non habere. Non egō mea, sed vestra, & urbis causa crucior; ideoq; publico damno verborum iusta querela ingemisco. In tanto populo, in tanta iuuentute, quām pauci ad audiendum, & quām pigrè conueniunt? Plures (ignoscat mihi Scholæ Genius) penè qui audiuntur, quām qui audiunt. Ego tamen ad ambitionē, aut illecebras adulatioñis non descendō, vt Auditores colligam; sed ingenij experimentum Scholæ impendo, vt merear. Quisquis es, & discendi desiderium aliquod habes, Priscos illos Rhetores cogita, & in SCHOLIS PALATINIS disce, ubi gloria quoque est, didicisse: disce, ubi P. VERGILIUS MARO aliquando

didicit: vbi VALERIVS MAXIMVS vester: vbi VIRGINIVS RUFVS, iii. Consul, Rhetor insignis: vbi FRANCISCVS PETRARCHA: vbi ANDREAS ALCIATVS: vbi HIERONYMVS CARDANVS: postremò, vbi tot insignes, & preclarí viri, quos omnes eorumdem studiorum consortes iactare, & horum aliquem imitatione exprimere poteris, si eamdem Scholam frequentaris. Non quidein Augustinum auditura; sed illum, qui longo pòst interuallo suffectus Augustino, eiusdē munus obit. Eténim si Eloquètiæ fructum Professor publicus Scholæ impendit; & à Schola Auditor capit: tot Professores audire videare, quot in Schola unquam docuerunt, si in Schola audieris. Sed ego, non quem aut quos audias; sed quid audias, considerare te volo: non Professorem, sed Eloquentiam ipsam. illum enim iactare, ad priuatam tuā; hanc, ad publicam scholæ gloriam spectat. Scholæ imò vrbis: cùm florentē sine Schola Eloquentiam habere non possimus, nec sine Eloquentia Vrbem.

## Dixi.

A. J. O T Z I N G

# PISTOLA,

QVAM  
VM

**A D I L L. E T E X C E L L.**

Principem

**I O. F E R N. V E L A S C I V M**

Castellæ Comestabilem

Misi,

Cum HISTORIOPHYS REGIVS  
Apud Mediolanenses factus essem.

**I L L. E t E x c e l l. P R I N C E P S ,**

Rgò in meta votorum meorum

sum, & HISTORIOPHYS APUD

MEDIOLANENSES REGIVS factus?

O meum gaudium? ò tuū fauorem?

Gaudium, quod effundo; fauorem,  
quem celebro apud doctas bonasq; omnes men-  
tes, per spatia bonæ Fainæ. Magnum, immen-  
sum, & æternum est quod contulisti: nec cognoscam  
beneficij honorem, nisi publicè exultem.

Itaque sciant litterarum amatores, & faueant;  
sciant osores, & inuideant, Historiographum me  
factum; sed tuo beneficio factum. Gloriosum qui-  
dem erat fieri; gloriosius, sic fieri: stipendio etiā

addito, quo munus ordiar, & natam dignitatem  
alam. Ego certè honorem ipsum hīc in primis spe-  
cto: lucrum, vt honori seruiat. Vti sine calamo  
scriptio commodè non fit: sic neque hoc munus  
absque stipendio constat: & tamen vt scriptio[n]e,  
non calamum æstimo, nisi tanquam instrumentū:  
ita stipendum istud muneri adiunctum. Sic quod  
sum esse volo, nihilq; opto. sum enim quod es-  
se volo, & possideo quod opto. Nam ad secreta il-  
la nostri Senatus quæ ambitio me traheret? Hoc  
iam alterum beneficium tuum est, quòd promo-  
tus non sum. Sed profectò nosti Genium tu quo-  
que meum Prudentissime PRINCEPS, qui rerum  
omnium naturam nosti. *Flare simul & sorbere dif-  
ficile est:* Difficile item res Senatus, & vñà Musa-  
rum agere. Ego quietem, litteras, & addo Famam  
quoque amo; in curia autem cutæ, cruces, & si  
rectè examinamus, ambitio potius quam Fama.  
Quæ cò scribo, vt dupliciter me obstrictum Exc.  
tuæ profitear: & quòd Historiographi titulum ac-  
ceperim, & quòd illum à Secretis euaserim. Ad  
Historiam igitur me adcingam, efficiamq; vt mu-  
neris dignitas, & beneficij memoria constet. quæ  
verba nouo hoc velut pignore, hisce, inquam,  
EPISTOLARVM FERCVLIS confirmo: iam iam  
missurus DISSERTATIONEM promissam, quam à  
Typographis tandem videor posse extorquere. Va-  
le Excellentiss. PRINCEPS, & Puteanum, nouo ti-  
tulo tuum, foue. Mediolani Postrid. Kalend.  
Iulij. 15 CIII.

BENEDICTI SOSSAGI

Mediolanensis

# ARCES PALATINAE,

AD V. C.

ERYCIVM PUTEANVM C. R.

Eloquentiæ Professorem,

ET HISTORIOGRAPHVM

*Apud Mediolanenses Regium.*



NDE Aganippe quondam vocalia  
montis.

Flumina? Cecropiasq; Insubrum colli-  
bus umbras

Credimus? & patria doctas irrepere  
laurus?

Anne Palatinas nunquam cœlestibus arces  
Increuisse choris? & nunquam Helicone canoro  
Demigrasse Deas, patriosq; intrasse penates?

Dic, age, dic Eratonemoris Regina sonori:  
Cui rerum senium, & famam defendere curæ:  
Tu caliganti sublatis nubibus vltro  
Expedias quinam ille virùm, quinam ille Deorum  
Laudibus exhaustas olim spoliarit Athenas  
Victor, & Insubriam captos auexerit Argos.

Aurea progenies Mantus, spes altera Romæ  
 Liquerat antiqui gentilia flumina Minci :  
 Finitimæq; sagax animi successerat vrbis  
 Virgilius, vix puber adhuc, vix integer æui :  
 Quò facies Naturæ omnes, & semina rerum  
 Cœca pererrato posset cognoscere cælo ,  
 Perq; Palatinas Musis adolesceret arces.

Iam per syderibus florentia regna , viasq;  
 Ibat in aspectas, & tecta imperuia vulgo.  
 Nouerat æthereos quis voluat spiritus ignes,  
 Quò glomeret Sol orbe dies , quæ cœca polo nox  
 Texitur, an mundum spirabilis ambiat æther  
 Aere pendentem medio? num sydera terræ  
 Concilient vires, cum fætu plena grauescit ?  
 Nouerat vnde animi fluuijs, quæ pabula ventis,  
 Vnde polus nimbis immugiat , vnde coactus  
 Iuppiter, & stridens insibilet æthere fulmen;  
 Norat vt æstiuis fæcundas noctibus aura  
 Desuper afflat aquas, & hiulcis roscidus humor  
 Suggestur campis; qua vi Maria alta tumescant,  
 Quistrepidas vrbes quatiat fragor , vnde remugit  
 Sub pedibus tellus; cur Sol emissus Eoo  
 Cardine, & Oceani dent sera cubilia Gades .  
 Sed magis Aonias Grais auertere Musas  
 Ignescunt animi , sedet alto pectore toruo  
 Maeniden æquare sono , penitusq; superbus  
 Vrit bonos, vrunt fastosæ corda Mycænæ.  
 Tantus amor patriæ, sic toto in pectore Romæ est .

Ergo aderat promissa dies, qua deniq; proles  
 Inlyta Palladio spectabilis iret in ostro  
 Heroum cuneis, & Pieridum comitatu

Septa, laborantiq; Deas abduceret Argo.  
Rumor in vrbe volat, socias perlabitur vrbes  
Finitimisq; it fama iugis, procul vsque Comenses,  
Aroniosq; super saltus, Baccheiaq; rura.  
Scilicet Argiuas Insubrum Regia terras  
Vertice despectat, iam doctæ memia Ahenæ  
Prouocat, & dignis inuitat Pallada templis.  
Ipse manu genitor Parnassia culmina Phœbus  
Impulit, impulsoq; fugan de culmine suadet.  
Ipsæ pumiceis lætæ Parnasides antris  
Exiliunt vltro; sic corda exercita luxu,  
Degeneresq; odere animos, lapsosq; nepotes.  
Si tamen vlla fugæ superant solatia, si quid  
Dulce loqui, & dulces lachrymis perfundere terras.  
Ah miseræ extremum lustratis montibus errant  
Oscula dant syluis, nemus amplexantur amatum;  
Osculaq; ingeminant, supremaq; verba relinquunt.  
Tum vero ingrato tingentes limina fletu  
Decurrere iugis; saltus, dilectaq; Tempe  
Deseruere, domos linquunt post tergagementes.  
Ignotos passim montes, ignota salutant  
Flumina; lassato fugientia culmina visu  
Respiciunt, patriosq; vident ægredere montes,  
Plorantesq; nouo laurus arescere casu.  
Iam Thisbe exululat, iam Phocidos ingemit amniss,  
Et pinus lacrimante vertice Cyrrheo.  
O patria, o Phœbi loca conscia, & antra Dearum.  
Quænam reliquiæ quid tanto e nomine restat?  
Heu heu culminibus Musarum barbarus hostis  
Insultat, nec spes Argis venit vlla sepultis.  
Vix e Memnonio noua lux albescere cælo

Cœperat, & grauidus nebulis rarescere mindus;  
 Nec iam prima dies nebulosum strauerat æquor  
 Sole nouo, nec iam cæcas caligine terras  
 Strinxerat, aut montes radijs afflauerat altos.

Ecce Brianteo descendunt vertice fauni  
 Semideumq; genus; iam iam memorialia linquit  
 Otia cana Pales; & coniferam Ciparission  
 Iactat, Hamadriadumq; ruit Syluanus ab antris  
 Sylvuarum pecorumq; potus; it cominus vna  
 Pan Deus aruorum, montanæq; arbiter umbræ:  
 It Satyrum glomerata manus, pinusq; coruscant.  
 Omnibus intxeti flores, caput omnibus halat;  
 Omnibus innexæ ludunt per tempora baccæ.

Clamosum non ira forum, non iura fatigant  
 Ferrea, prostantes habuerunt otia merces.  
 Et pacem labor omnis habet. vacua arua quiescunt  
 Iugeribus suspensa nouis, hic colla iuuentis  
 Liberat, hic plaustrum lasso temore supinat  
 Agricolæq; omnes respirant pectore toto  
 Sic plaustris non stridet iter, nec flumina duris  
 Sollicitant contis, sed ponunt brachia nautæ.

Iamq; Palatinæ feruent concursibus arces,  
 Iam studio effusi proceres, & sedibus aureis  
 Confedere, alij tectis solennibus instant.  
 Cernere erat ceso spirates marmore circum  
 Heroum facies, verosq; lacessere credas  
 Aræ viros, adeo viuunt in marmore vultus,  
 Vitalesq; trahunt si credas nutibus auras.  
 Primus arundineæ vibratum in vulnera syluae  
 Terrigenam Phitona premit, gressuq; supra stat  
 Delius, & læua fremit arcus, & aspera telis

Terga suus Corythos habet, tum calcat Homerus  
Proxima, magniloquio vatum pater in sonat ore  
Sanguineas resoneas Argina per oppida pugnas,  
Mirantur proceres quamuis in marmore, ut olim  
Laudibus increuit, vtq; indelebile nomen  
Duret adhuc cineri, nulloq; evanuit aeo  
Vatis honos, cum saxa tamen moriantur, & urbes.  
Nec procul Euridicen iterato funere coniux  
Respicit, in tenues vt mesta evanuit umbras.  
Respicit, & viuo, miser ab, pallescit in ære  
Ah miser, & cantu nec quidquam excusserat atras  
Eumenidum lacrymas, & Parcas pensa nouantes.  
Parte alia videas tyriam properantia saxa  
Ad chelim, & duras animari carmine cautes,  
Scilicet Amphion scopulos ad menia cantu  
Inuitat, tum sponte ruunt, & iussa facessunt.  
Nec procul Albuneæ lucos, præfagaq; fauni  
Antea petunt Italæ diuerso ex ordine gentes  
Ille truces Parcas, & agresti carmine Diuuos  
Indigenis, priscoq; sonat non irrita Phæbo.  
Postremus lybicas acies, atq; arma Quiritum  
Ennius equabat cantu, tum frondis honorem  
Sperabat capiti, sed Graij romula rident  
Carmina, dum Tybris Romano vate superbit.

Et iam lætitia passim, lætoq; tumultu  
Tecta fremunt, & ubiq; sonant Pæanes, ubiq;  
Sexta coronatis balant vernantia valuis.  
Liminaq; ostendunt syluis, & floribus augent  
Vere nouo spargunt sedes: pars ordine certant  
Virgilium memorare suum, pars voce recensent  
Res atuum, repetuntq; suos ab origine Subres.

Hi Ligurem excisum, belloq; attrita Ticensi  
 Cornua, & impositi patientia flumina pontis.  
 Hi colles grauidos Baccho, & Cerealia laudant  
 Iugera camporum lybicis certantia glebis.  
 Hostiles hi Marte Lacus, varijsq; cruentos  
 Cedibus, & Lari spumantes sanguine ripas.  
 Hic canit vt ruptis patriam Verbanus ad urbem  
 Gurgitibus veniat, victorq; irrumpat ad alta  
 Menia lanigeræ suis indignante Ticino.  
 Nam ne septriferas Verbanus tingeret arces  
 Inter se bellasse ferunt: furit amnis, & hosti  
 Insultat fluvio, tumidasq; effusus in iras  
 Aestuat, & victor magno ruit agmine montes:  
 Frangit agros, dant arual locum; atq; inuidus amnis  
 Cessit; adhuc cornu generosum flumen ouanti  
 Oppositos montes, vastosq; irrumpere campos  
 Infremit, & dominos allambit gurgite muros.

Interea festa vates insignis in aula  
 Incedit, procerumq; manus hinc inde coronat  
 Effultum folio: circumstant vndiq;, & illum  
 Laudibus accumulant, meritos gratantur honores.  
 Ille pares simul insinuat per mutua grates,  
 Palladioq; procul spectabilis emicat ostro:  
 Vestis erat grauida argento, saturataq; multa  
 Grandine gemmarum, quam textile circuit aurum  
 Mæandro triplici, mediaq; intestus Arion  
 Equoreo superat spumosum Neream monstro.  
 Cernere erat longe flatus compescere ventos  
 Parcentes pelago: longeq; absistere nimbos  
 Fluctibus, & placidis cælum clementius auris.  
 Iam cantu mitescit hyems, mansuetus & aquor

Paulatim oblitum furias, iuuat arua tueri  
 Spumea, & obsequio placidos sternentia fluctus.  
 Mutescunt scopuli, & clari delphines in orbem  
 Marmora sulcabant caudis, pelagoq; netabant  
 Argento intesti: veros canescere fluctus  
 Sub pedibus, veros scopulos assurgere credas.  
 Et iam Sidonia circundatum Ariona palla  
 Squammigerum vulgus sequitur: charoq; superbit  
 Pondere delphinum melior, cursuq; per vndas  
 Spumat, & ingenti discriminat ægora gyro.  
 Parte alia trepidant nautæ, periuraq; ponto  
 Vela tument; totam credas à sedibus imis  
 Ire Pharon, fractumq; salo dcurrere montem.

Ecce manus scelera attrahant, auroq; potiti  
 Remigij instant, vix prædam pinus auara  
 Auebit, incurvant vario cum transtra tumultu,  
 Et mortem cupiunt sceleris pro parte pacisci.

Nam perhibent Italos lustrasse & Ariona fines  
 Tenaria studio citharae, vocisq; canore  
 Et dum concordes arguto carmine neruos  
 Percurrit digitis, & doctum carmen biaret  
 Propter aquas egisse dies, aut forte sub alta  
 Illice, quæ grata soles defenderet umbra.  
 (Et si vera fides,) vocalia fila mouenti  
 Perflantes siluere Noti, sylua&q; comantes  
 Curiarunt capita, & frondentia brachia ramos.  
 Audiuisse putas, ita frondes sponte quietas  
 Demittunt nemora, & nemorum conuexa filescunt.  
 Quin etiam duras mulixerunt carmina cautes  
 Duritiem exutas: visiq; alludere montes  
 Discentes animos, & nescia marmora sensus.

Ipsæ etiam pecudes, ipsumq; volatile vulgus  
 Inuidere sonos, & circumfusa tenebant  
 Corpora certantes alis, plausuq; sonantes.  
 Blanditi fontes, oblitaq; flumina cursus  
 Aduentante viro, natiuo murice risit  
 Orbita, certatim flores comitantur euntem.  
 Hinc studio effusæ gentes, ipsæq; puellæ  
 Matribus immixtis Vrbes, ac tecta domorum  
 Deseruere, iuuat cupida bibere aure canentem,  
 Vocalesq; haurire fides; iuuat ora tueri.  
 Qua fert cumq; pedes; inducunt desuper umbras;  
 Vere vias sternunt, picturatisq; tapetis.  
 Prorsus erat fælix; patriæ ni captus amore  
 Infaustum celerasset iter, pelagoq; parasset  
 Præcipitare vias, Italaq; excedere terra.  
 At proceres Italum longi solatia cursus,  
 (Materiem sed enim steleris, cædisq; futurum,) 18  
 Signatum properant aurum, stipantq; carina.  
 Argentum procussum, ingens, vestesq; superbæ.  
 Tantus bonos citharæ, tanta est ad carmina merces.

Vix è conspectu Italia spumantibus vndis  
 Vela dabant læti, & campos salis ære secabant.  
 Cum rapit argenti nautas sitis, improbus auri  
 Surgit amor, tacito rimantur crimina voto.  
 Quisq; affectat opes, & fraudes pectorè versat:  
 Nec caput innocuum, nec sanctum deniq; nomen  
 Tangit, & ultricis præsentia numina ponti.  
 Heu cæci furijs infectos cædibus enses  
 Suspendunt lateri, tacitoq; inuadere ferro  
 Ceco Marte parant, iam totum in vulnera cæcis  
 Designant oculis: hic fronti destinat ictus

Hic pulcro capiti, speq; ingens deuorat aurum.

Præscius agnouit vates, & cauta malis mens  
Sensit adesse dolos. gazas partitur, & auri  
Sponte famem saturat. suspendunt præmia mortem  
Fitq; moræ pretium, sed enim insatiata canendo  
Flecltere corda parat : crinalem frondis honorem  
Dat capiti, & fidibus componens ora, sonoris  
Obloquitur numeris, ( siluerunt Aequora circum  
Littoraq; & stantes immoto vertice sylua )

Dij, quibus imperium pelagi, quibus ordine curæ  
Humentes habitare domos, possessaq; ventis  
Aequora, & iratos amore est componere :  
Pandite molle fretum? placidusq; aduertite cultus?  
Mortali si regna patent, si nobile musco  
Limen adire datur, satiataq; pumice tecta.  
Vos o Lædei fratres, quibus vnda recumbit  
Conspexit, positoq; solent certamine venti  
Maturare fugam, vos toto excludite cælo  
Agmina ventorum, claudentesq; æthera nubes?  
Namque ubi ceruleis statio gratissima Nymphis,  
Si me optata manent glaucarum tecta sororum  
Semideos omnes, atq; humida regna tenentes,  
Et magnum Pæana canam ; cum nempe Deum Rex  
Accubat Oceanis mentis, & nectar e vestro  
Proluitur, festoq; sonant caua littora plausu.  
Hic magnum Tritona sequar, dum cerula rauco  
Mugitu quiet, dum personat æquora concha  
Os humerosq; Deo similis ; sed territat vndas  
Squammea terga mouens, & cauda verberat æquor.  
Hinc quoq; Leucothoen, dum temperat equoris iras  
Nimborumq; potens hyemes a nubibus arcet

*Vt puer æqualis Baccho super alta Palemon  
Pcruolet, & faciem pelagi roseo ore serenet  
Discutiens ventos, quassatasq; adiuuet alnos.*

*Te quoq; te Protheu memorē spumosa sub antro  
Corpora sternentem, cum stagna loquacia, & vnde  
Torrentes cum Sole tacent, & hiantibus aruis  
Stat vapor, aut multo fumant Hiperione valles.  
Quin etiam egressas spumanti è gurgite dicam  
Phocas, & optata fessas recubare sub alga  
Littoris, & salsas reuomentes naribus vndas.*

*Nec minus horribiles renouātem Protea formas  
Vt toruo fremit ore leo, sauitq; comantes  
Excutiens ceruice iubas, vt voluitur antro  
Squammeus, & laterum sinuosos asperat orbes.  
Vt nunc aerii montis velut ardua Pinus  
Attollat capit, & frondoso vertice nūtet.  
Intenues, vt rursus aquas, viq; igne crepanti  
Fit vapor, & tardi vomit atra volumina fumi.*

*Ergo agite o' Nymphæ vestri miserescite vatis  
Sin mutas pulsemus aquas, & surda profundi  
Equora, si donant hæc nubibus irrita venti  
Tu pater vndarum, qui saua tricuspidē tollis  
Equora, spumantesq; potens cuoluis habenas  
Quadryugo curru, tu formidabile regnum  
In nauim molire manu? super ora trementum  
Frangantur fluctus; vos saxa incurrite proræ?  
Omnia non venti rapiunt, non irrita vatum  
Vota cadunt: sic Scylla suis infesta cauernis  
Infamet Siculas monstros latrantibus vndas,  
Periuram voret ipsa ratem, nantesq; marinis  
Disserpat canibus: simul implacata Carybdis*

Aeſtuet infestans nautis mare, & agmen, & aurum  
 Sorbeat, abreptas eructet in æthera gazas  
 Dentibus infreudens, & gutture deuoret alnum.  
 Et si inimica cohors tantas deflexerit iras  
 Vos, quæ veliuolo currentes æquore naues  
 Prospicitis summo scopuli de vertice: vos ò  
 Syrenes? quorum insidijs, cantuq; nocenti  
 Sopitæ tacuere rates, remiq; fluentes  
 E manibus, & vela cadunt nutantia somno.  
 Excipite infandos, imoq; inuoluite ponto:  
 Quà sanies per saxa iacet, quà deniq; campi  
 Spirantes tabo, ac inhumatis ossibus albent.  
 Ossibus hic iaceant nudis, proiecta q; passim  
 Corpora, & informes infami in littore trunci.

Audijt orantem genitor Neptunus, & alto  
 Intonuit pelago, concussæ turbine Syrtes  
 Increpuere, gemitq; minaci murmure pontus.

Ecce autem tumidi spumosa per æquora regni  
 (Attonitus referto) cursu delphines ouanti  
 Exultant pelago, plausuq; ad Ariona tendunt.  
 Quorum pectoribus fulgescit squamma, iubeq;  
 Cærulæ ludunt humeris, argentea voluunt  
 Corpora, & inscribunt sinuosa cærula cauda.  
 Fluctibus albescit scissum mare, namq; feruntur  
 Iam proprius, spumamq; alternis naribus efflant.  
 Olli multa metu pallentem, multa precantem  
 Exponunt pelago, missumq; e puppe relinquunt.  
 Præcipitat sibi quisq; moras, permittitur auris  
 Carbasus, expediunt remos, & marmora verrunt.  
 Nec iam respiciunt trepidi, nec pectore toto  
 Respirant visu exangues, illi æquora versu

Sulcantes Heroa petunt, nantiq; decoros  
 Subiectant bumeros, circumq; infraq; coacti  
 Densantur, circumq; omnes lunantur in orbem.  
 At ductor pecudum, qui terga micantia vati  
 Prona dedit, per stagna viam tranquillatenebat  
 Exuperans pelago, & ceruicibus eminet altis  
 Arduus, extrema blanditur in oscula lingua.  
 Sed quid ego tam longa legens vestigia rerum  
 Molior ire retro? seriemq; exire per omnem?  
 Nec sequor, ut celeri Delphinus Ariona dorso  
 Auehat, & tandem spumantibus efferat vndis  
 Perfunditum pelago, faluaq; exponat in alga  
 Et letum patriæ discussa cede remittat.

Talia Palladio pulcherrimus Heros in ostro  
 Argumenta gerit, tales appingere formas  
 Artifices auferem manus, quæ cuncta legebant  
 Intentis oculis, & lati ad tecta redibant

At simul ac varijs perfundi laudibus omnes  
 Concessere domos, ad festa Palatia Pitho  
 Deuenit insignis facit, gressuq; decoro  
 It tergo demissa chlamis, fremit ense minaci  
 Læua minax, at dextra manus mitescit oliua.  
 Illa freta premat ventos, bacchataq; frenet  
 Nubila, & insanas pelagi demulceat iras:  
 Illa etiam iussos insano corpore montes  
 Transferat, & verso sistat vag a flumina cursu.  
 Illius auditæ quercus accedere voci  
 Præcelerent, ornosq; trahant è rupe sequaces.  
 Hinc subit argutos septemplicis ætheris orbes  
 Ausus adire dolo, diuinaq; dona sagaci  
 Attentare manu, scd iam sua furtæ Prometheus

Oderat, vsq; adeo pœnis exhausta, nec artus  
 Integer ibat adhuc, & hiabat vulnere pectus.  
 Tum vero cithara, cantuq; insignis Apollo  
 Ingreditur; vacuas sedes, & inhospita quandam  
 Limina confessu musarum nobile complet  
 Concilium, posite placuerunt omnibus aræ,  
 Inq; Palatinis pubes exercita templis.  
 Illic non tristi latrabant agmine Curæ  
 Degeneres. non usquam animos, non corda Voluptas  
 Mascula frangebat, non lata inglorius aluo  
 Torpor, & obscuris Infamia discolor alis  
 Vestibulum ante ipsum dociles inuitat ephæbos  
 Gloria: dehinc laudes fastigia nota frequentant.  
 Egregiæ visu facies; penetralia Virtus  
 Interiora tenet, possitq; cubilia passim  
 Virtutis germana quies, quæ fæta Labores  
 Parturit, hi mentes acuunt, & limine toto  
 Apparent, sternuntq; nouæ cunabula famæ.  
 Ergo alacres choreis, & multisono modulatu  
 Indulgent Musæ, & tectum concentibus implent.  
 Atq; ubi Virgili conspectum ex ordine ternis  
 Lustrauere choris, terno plausere choreas  
 Agmine ceperunt tali pro ludere cantu.

O decus Italiæ, quem pubescentibus annis  
 Ingenium Graüs, cantus aquavit Homero,  
 Quemq; Palatinæ viderunt caminus arces  
 Scrutantem rerum causas, animoq; prementem  
 Martales casus, & incluctabile fatum.  
 Iam tua lux terris, virtus successit Olymbo  
 Cedite Graiugenæ Romano cedite vati.

Tune aedes Insubrum columen: tu maximus ille es?

Quem stupet Argium tellus arcessere vatum  
 Orantumq; decus, fletuq; gemiscit amaro  
 Irrisos sine laude viros, sine honore nepotes  
 Bis lingua exutos, bis ad altum cedere Tybrim  
 E desolato Parnassi vertice laurus.  
 Cédite Graiugenæ victrici cedite Romæ

Non adeo tellus sese iactauerit vñquam  
 Ismara Bistonio quamuis famulantia vati  
 Spectarit nemora, & stupefactos carmine montes  
 Nec quæ Mœconidem Graios impingere Troiæ  
 Cædibus arctantem Zantum, & Simoenta cruentum  
 Audijt, atq; Itachum pœnas traxisse per omnes.  
 Cedite Graiugenæ victrici cedite Romæ.

Nec minus Insubrum primi tibi templa dicabunt  
 Aurea, Castalijs fumabunt ignibus aræ  
 Quas nemus amplectens vmbbris prætexet opacis  
 Certatimq; ruent vates trieteride multa  
 Instaurare dies, doctasq; capessere frondes,  
 Et tibi pinigero melior iubet vmbra Liceo,  
 Cedite Graiugenæ Romano cedite vati.

Ilicet Aonidum pugnas, cantusq; sonoros  
 Magnanimum statuent vatum, figentq; superbis  
 Victores sua dona tholis; hic læta iuuentus  
 Carminibus assueta tuas pubescit ad aras,  
 Primitiasq; operum, & primi libamina cantus  
 Suspencent Itali non indignantibus Argis.  
 Cedite Graiugenæ victrici cedite Romæ.

Tunc sibi plaudentes choreas hoc culmine in ipso  
 Teucer aget, tolletq; tuas ad sydera laudes  
 Carminibus patrijs, & tete ostendet Iacchus  
 Agminibus iuuenum longe tua signa sequentum,

Te canet ore Cares, hæcq; ipsa ad limina pubem  
Sistet & insubriæ certum iurabere numen  
Cedite Graiugenæ Romano cedite vati

Quæ te promissis fraudabit laudibus ætas?  
Parcheas adolebit opes, adolebit honores,  
Præcingetq; tuis flauentia tempora vittis  
Augustinus ouans; cunctiq; ad templu ferentur  
Insubri, quas ille virum dominabitur aures  
Voce potens? vt fando animos implebit hiantes?  
Cedite Graiugenæ Romano cedite vati

Felix vrbs Italum? claros cum nomine ciues  
Ire Tibrim supra, ferriq; ad sydera cernes?  
Nam caput ad superas tum Maioragius oras  
Eriget, & patrijs, vt lux appareat oris;  
Ille frequens dictis, non luce inglorius vlla  
Orabit; longo tum suspiratus ab quo  
Instruet Insubrum teneros Cicereius annos  
Cedite Graiugenæ Victrici cedite Romæ

Tu decus Italiæ, Lati&spes altera lingua  
Orantum Puteane adytus, arasq; reposas  
Ingrederis, doctumq; tenes non aduenat templum.  
Tempus erit cum te meritis ventura propago  
Laudibus accumulet, ciuemq; optauerit auro  
Si modo posset emi vitæ natalis origo.  
Cedite Graiugenæ victrici cedite Romæ.

Hec chorus Aonidum venturi præscius cui  
Voluebat, dum Phæbe tuos Laurentibus oris  
Indulges vultus, & membra nostra frequentas.  
Scilicet egressæ patrijs Parnasides antris  
Lustrabant Italos fælici numine fines:  
Dij Patrij Indigetes, studijsq; exercita Pallas

ipsa suas artes, & pulchræ laudis amorem  
 Inspirabat auis, magnasq; in carmina mentes.  
 At nos indecores terimus sine nomine soles  
 (Prò pudor?) & laudum steriles traduimus annos,  
 Non studia attollunt oculos, non ullus honestis  
 Mordetur curis, vulnus per deuia Musæ  
 Attonitæ, errantes; nec quidquam limina pulsant  
 Hospita, nec quidquam latio succederentant.  
 Feruet amor scelerum, variæq; ex ordine pestes  
 Incubuere animis, famam sperare sepulcro  
 Non amor est, nullus fugientibus utitur annis.  
 Quænam hominum labes inimicas in sua montes  
 Funera? sylvestresq; animos, moresq; sinistros  
 Intulit? amplexi tenebras, vitamq; silentem  
 Fœda in nocte iacent, quis honesto nomine nudam  
 Non agitat vitam? mutumq; inglorius æuum?  
 Vsque adeòne inimica dies? & triste parumper  
 Luccam animi, mentemq; sequi? non deniq; noxis  
 Sobria corda placent? stant cœca silentia lethi  
 Omnibus, & fœdæ prætexunt busta tenebræ.  
 Hi scelus infandum cineri, patriæq; relinquunt  
 Infames: alijs placuit violentia ferri:  
 Ecce (nefas dictu) scelerata in vulnera fratres  
 Cœco marte ruunt. quis cæli dignior ira?  
 Hi pulcros odere dies, vitamq; nocentem  
 Amplexi occumbunt, scelerum caligine pleni  
 Culpatoq; suum confristant funere bustum  
 Obsessi furij, in honora morte sepulti.  
 Sors habet hæc miseros; placuit scelerasse p omnes  
 Vitam ignominias, & corda innoxia luxu  
 Insontesq; odere manus; unde iste per orbem

Creuit amor? quando melior se exuscitet ætas?  
Luxuriat cœpulæ, nunc irritatus odoro  
Vnguine proflatur Bacchus, mensæq; nouantum.  
Nec satis est pleno quamquam Ceres aurea cornu  
Spargat opes, & vitifero sub palmite vastus  
Vestiuit colles, atque ebria rura Liaus.  
Nec pudor est ludo passim per tecta, viasq;  
Instaurare diem, insomnes ducere noctes;  
Non aurum violare cibis, non denique gemmas  
Infamare mero; cunctis sua tristis Erynnis  
Regnat, & infesta funestat nube penates.  
Ecce alij parto non unquam stare quietia  
Suspirant, quæ prima dies, quid nubilus Auster  
Cogitet, & rubro denuciet æthere Vesper  
Nimbipotens; pluuiione irrorent aere noctes.  
At non talis erat quondam prior aureus ille  
Sanguis auum; nemorum tractus, & iugera amabat  
Sollicitare manu, nos vero ignobile vulgus  
Ingenio scrutamur opes. hinc crimina, & iræ  
Hinc mctus, insidiæq; & cunctæ semina culpe.  
Quis furor arcanæ rimari viscera terræ  
Impulit? aut ferri massas, aurumq; repossum?  
Et querimur terræ furiæ, & fulmina auaras  
Indignata manus, coniurantesq; procellas.  
Ante quiescēbat pacatis nubibus Aether,  
Et somno torpebat hyems. ventiq; frementes.  
Nec mugire polus, nec feruere nubila cœlo  
Audebat. viso tellus at inhorruit auro;  
Immisitq; suas hyemes, hinc horridus Auster  
Ingruit, & dira crudescit grandine cœlum.  
O fortunatos? o terque quaterq; beatos?

TITVLVS; & INSCRIPTIO  
Scholæ Palatinæ.

SCHOLA  
PALATINA.

QVISQVIS ES,  
OTIOSVS, SEV NEGOTIOSVS,  
SVSPICE.

HVC AB OTIO AD NEGOTIVM,  
A NEGOTIO AD OTIVM  
SVADA , ET MENS BONA  
VOCANT :

EARVM HIC LOCVS,  
PVBLICVS ET ANTIQVVS ,  
LITTERIS PVBLICIS ET ANTIQVIS  
SACER :

SED TV,  
SI SVADAM ET MENTEM BONAM AMAS,  
LOCVM FREQVENTA,  
LITTERAS TRACTA,  
IN OTIO NEGOTIOSVS ,  
IN NEGOTIO OTIOSVS.

ERYCIUS PUTEANVS C. R.  
ELOQVENTIAE PROFESSOR,  
ET HISTORIOPGRAPHVS REGIVS  
APVD MEDOLANENSES,  
FAMÆ VRBIS ET SCHOLÆ P.

UVA. BHSC. BV 08960 (05)

